


# EPISTULA LEONINA

## CCLXII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SECUNDAM (262)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03</b>
<b>VIRTUTE IPSA NON TAM MULTI PRAEDITI ... ..</b>	<b>04</b>
<b>QUANTUM PROGRESSUS SIM IN OPH COMPONENTO</b> ( <i>Leo Latinus</i> ) .....	<b>05-07</b>
<b>COETUS ET CONVENTUS ALF: 'DE URBE ROMA'.....</b>	<b>08-12</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>13-26</b>
<b>KANNITVERSTAN</b> <i>scripsit Johann Peter Hebel, Latinê reddidit LL.....</i>	<b>27-30</b>
<b>PAUCA DE BELLO UCRAINIANO</b> <i>quae scripsit Paulus Kangiser .....</i>	<b>31</b>
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>	<b>32-42</b>
<b>GLOSSARII EROTICI PRAEFATIO</b> <i>quam scripsit Pierre Pierrugues .....</i>	<b>43-45</b>
<b>NAVCA</b> <i>Carmen quod pepigit Maurus Pisini .....</i>	<b>46</b>
<b>VERBA CLOACAE</b> <i>a Paulo Kangiser collecta .....</i>	<b>47-50</b>
<b>CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....</b>	<b>51</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>52-65</b>
<i>Maurus Pisini (52) - Paulus Kangiser (52) - Guilielmus Monetti (53-56) –</i>	
<i>Victorius Ciarrocchi (56-57) - Detlev Schnitker (57) - Gaius Licoppe (57-58) -</i>	
<i>Radulfus Lavalle (58-59) - Ioannes Carolus Rossi (59) - Marcus Cristini (60-61) -</i>	
<i>Ansgarius Osloensis (61-62) - Urbanus Ferrarius (62) - Logodaedalus (62-63) -</i>	
<i>David Edwards (63) – Theodericus Sacré (63-65).</i>	
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>66-69</b>

## **PRAEFATIUNCULA**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

*Cara Lectrix, Care Lector,*


*toto ex corde tibi suadeo, ut perlustres symbolas huius  
Epistulae Leoninae 262, i.e. ducentesimae sexagesimae  
secundae, necnon epistulas et echûs voces mihi a lectoribus  
missas, qui cogitationes commotionesque suas animorum  
exprimant Latinitate iucundissimâ...*

*Pancraticê vale et perge mihi favere.*

*Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**




<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Dominicâ**

**12. m.Iunii a.2022**



**VIRTUTE IPSA  
NON TAM MULTI PRAEDITI  
ESSE QUAM VIDERI  
VOLUNT**

Ecce scutum heraldicum CAROLINAE BOREALIS unius ex Civitatibus Americae Unitis: Cui inscripta est sententiola Ciceronis aliquantulo nimis concisa: „ESSE QUAM VIDERI“. Cicero autem in opere *de amicitia* scripto facit verba haec quae sequuntur: [98] *Omnino est amans sui virtus; optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intellegit. Ego autem non de virtute nunc loquor sed de virtutis opinione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse quam videri volunt.* (CICERO, *De amicitia* 98).

OPH – Relatiuncula 10.06.2022 Dr. Nikolaus Groß - Academia Latinitati Fovendae

RELATIUNCULA:

**QUANTUM PROGRESSUS SIM IN LEXICO COMPONENTO,  
C.T.  
ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS (OPH)**

*Sodales Academici maximê honorabiles,*

medullitus et omni quâ par est observantiâ vos omnes saluto; utinam feliciter congregati sitis in Capite Mundi! Valdê doleo quod ipse vobiscum nunc non possum conversari et bene spero hoc posse fieri proximo anno futuro. A *Theoderico Sacré* Praeside nostrae Academiae maximê spectabili rogatus libenter referam, quantum progressus sim in Lexico componendo, c.t. *Orbis Pictus Hexaglottus*.

Primo vobis in memoriam revocabo, quale lexicon hâc titulo instructum scribere et sub aegide Academiae Latinitati Fovendae in publicum êdere mihi in animo sit; quam brevissimê referam de titulo, fine, contentis, fontibus, methodis, structurâ, deque parte laboris iam transactâ deque adhuc exanclandâ, de sociis laboris deque tempore quo – sub reservatione Iacobeâ – opus completurus sum.

De **titulo**: Ut colerem memoriam *Iohannis Amos Comenii* magni didactologi et lexi picturati inventoris, de cuius meritis immortalibus *Andreas Fritsch* noster sodalis tam scitê atque peritê disseruit, lexico meo imposui hoc nomen. Exemplo mihi etiam sunt opera *Iohannis Eberhardi Gailer* et *Hermannii Koller*, qui Comenium secuti scripserunt etiam *Orbes Pictos*.

Hoc opus ante quindecim ferê annos inchoatum composui *eo fine, ut* omnes, qui hodie Latino sermone utantur vivo, qui Latinê loquantur et scribant, tandem habeant thesaurum verborum satis amplum, quo denominent ea, quibus in modernâ vitâ cottidianâ circumiecti sunt: *realia* sive *concreta*. Licet sint qui credant ineptum esse saeculo vicesimo primo nova verba fingere Latina. At nos Latinitatis vivae defensores semper sumus memores verborum Ciceronis, qui affirmat *novis rebus nova nomina esse imponenda* necnon Erasmi qui haud ignorat suâ aetate esse *milia rerum, quas exstare Cicero ne somnio quidem suspicatus sit*.

De **contentis**: Orbis Pictus Hexaglottus continet nomina quae spectant ad concreta et sensualia mundi moderni, naturalia et technica. Usus sum lexico picturato omnium quae invenire potui abundantissimo, in Canadâ edito, cuius titulus originalis est „*Visual dictionary*“ et quod continet **40.000 (quadragenas millenas)** notiones quinque linguis denominatas, i.e. 200.000 (ducenta milia) verborum. Quinque linguis huius lexici originalis, quae sunt *francogallica, anglica, theodisca, hispanica, italica*, equidem addidi **Latinam**. Ergo quadraginta milia notionum mundi nostri moderni concreta et picturis exhibita spatio ferê quindecim annorum studii ornare veste quam Latinissimâ. Audite, ad quales disciplinas rerum spectent vocabula in “*Visual Dictionary*” indicata:

I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM – IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET COQUINA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA ET HORTUS – IX. VESTITUS – X. ACCESSORIA – XI. ARTES (architectura, figurativa, musica, fabriles) – XII. COMMUNICATIO (electronica, computatralia) ET GRAPHEUM – XIII. VEHICULA (birota, autobirota, autocinetum, laophorum, autoplastrum, ferrivia, navis, aeroplanum, helicopterum) – XIV. ENERGIA – XV. SCIENTIAE NATURALES – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.

**Fontes** verborum mihi fuerunt lexica atque litterae Latinitatis antiquae et mediaevalis et recentioris. Auxilio magno mihi fuerunt opera quae scripserunt neolatini lexicographi verborumque novatores: *Avellanus, Jove, Holzer, Lurz, Mir, Tondini-Mariucci, Bacci, Egger*, et alii; maximam autem vim ad opus meum habet magister meus Latinê loquendi et scribendi, i.e. *Iosephus Antonius Caelestis Eichenseer (1924-2008)*. **Methodos** quas hi coryphaei neolatinae logopoeseos atque lexicographiae invenerunt et adhibuerunt receptas quam fidelissimê observavi.

**Structura**: Orbis Pictus Hexaglottus complectitur **duo volumina**.

Quorum **primum** continebit picturas et nomina sex linguis indicata. In omni picturâ omni rei delineatae iuxtaposita sunt nomen huius rei Latinum, theodiscum, anglicum, francogallicum, hispanicum, italicum. In praefatione Latinâ fusê explicantur methodi verba inveniendi et confingendi. Adduntur indices nominum alphabetici.

**Volumen alterum** continebit omnia nomina Latina in ordinem alphabeticum digesta. Omni nomini Latino addita sunt: vocalium

longitudines, forma genitivi, genus, nomina aliarum 5 linguarum, interpretamentum, i.e. brevis explicatio Latina. Praeterea indicantur loci testes et etymon nominis. Interdum fusius refertur de confictione verbi deque synonymis, si auctores neolatini inter se dissentiunt de nomine eligendo.

Nunc de iis loquar **quae interim perfeci deque illis quae restent perficienda**. Interim omnia nomina sive in litteris antiquis mediaevalibus recentioribusque inventa sive meo Marte conficta necnon locos eorundem testes collêgi. Ergo maxima pars laboris lexicalis iam est transacta. **Nunc insudo alteri volumini perficiendo**. Quod aestimo habiturum esse circiter quadringentas quingentasve paginas (**400-500 pp.**).

**Comites consultoresque laboris lexicographici** peritissimi atque fidelissimi ex quattuor iam annis mihi sunt **Gaius Licoppe** Nestor Academiae et Latinitatis vivae optimê meritis, qui omnia verba a me collecta et inventa et conficta diligentissimê perlegit et commentatur, et **Victorius Ciarrocchi**, qui imprimis nominibus sermonis sui patrii in lexico indicatis incumbit emendandis.

Ultimo loco vos certiores faciam **de tempore** quo tandem opus completurus sum laboriosissimum. **SUB RESERVATIONE IACOBĒ** bene spero fieri posse, ut **hôm anno exeunte** lexici mei textum completum mittam Academiae sodalibus censoribus eundem inspecturis.

In hunc autem conventum, Sodales carissimi, vobis intimo ex corde exopto, ut colloquia habeatis quam maximê delectabilia atque fructuosissima, ut proposita vestra procedant quam prosperrimê et felicissimê. Valetè pancraticê et pergite mihi favere.

**Medullitus vos salutat**  
**Nicolaus Groß**  
**Leo Latinus.**

# **COETVS ET CONVENTVS ALF**

## **‘DE VRBE ROMA’**

**Theodericus Sacré** sodalibus ALF optimis s.d.p.

Libenter vos invito ad ALF Coetum Generalem, Romae in monasterio S. Caeciliae Transtiberino celebrandum **die undecimo mensis Iunii hora 15.00 (tertia postmeridiana).**

Agendi autem ordo hic est praestitutus:

1. Relatio praesidis et nuntii tam de inceptis quibusdam recentioribus quam de rebus hoc in Coetu Generali tractandis.
  2. Quas orationes aditiales audituri simus (speramus Iacobum Dalla Pietà, Iosephum Marcellino, Accium Watanabe coram esse affuturos, et Alexium Slednikov verba esse Zoomice facturum).
  3. De novis sodalibus proponendis.
  4. De rationibus nummariis.
  5. De stipe solvenda pro anno 2022.
  6. De persona ALF iuridica: quis sit status rei.
  - 7. De libris editis et edendis auxiliove pecuniario iuvandis; de progressu lexicis Latini.**
  8. De sede, quae nobis est in rete mundano.
  9. Novissima de conventu ALF postero die incohando.
  10. Cum praeses munus positurus sit, secretis suffragiis eligendus erit in triennium novus praeses, item Consilium Praesidiale (Consiliarii, qui nunc sunt, iterum eligi possunt); novum autem Consilium Praesidiale designabit Vicarium Praesidis et Arcarium; etiam de collegio rationibus inspiciendis agetur.
  11. De Coetu Generali anni 2023, quo die sit agendus, deque argumento conventiculi tum habendi.
  12. Alia, si qua futura sint.
- Comitia etiam habebuntur, ut vidistis, ad creandos ALF magistratus. Hac de causa sodalibus, si qui forte coram adesse non poterunt, facultas dabitur suffragia per alios sodales ferendi. Si delegatione uti volueritis, sodalem quem elegeritis ea de re certiore faciat.

Peracto Coetu Generali, cauponam quandam Transtiberinam adibimus ibique hilariter et Latine convivabimur.



Spero vestrum quam plurimos Coetui interfuturos esse. Gratissimum autem nobis feceritis, si Nicolao De Mico, sodali eidemque ALF secretario, praesentiam absentiamve renuntiaveritis. Quodsi iter Romam instituere non valeatis, delegare vero cupiatis qui pro vobis absentibus suffragia ferat, de re non solum sodalem eum ipsum, quem elegeritis, certiolem faciatis, sed etiam Nicolaum De Mico secretarium.

Die autem duodecimo mensis Iunii ALF Conventus 'de urbe Roma' incohabitur; ordinem rerum per insequentes dies agendarum his litteris denuo praemisi.

Valete quam optime!

## CONVENTVS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE 'DE VRBE ROMA' (12-15.VI.2022)

### • Die duodecimo mensis Iunii (12.VI.2022)

#### Matutino tempore: in aedibus Capitolinis

- h. 9.15 – 10: PRAESES, Conventus inauguratio  
 h. 10 – 11.30: Orationes tres:<sup>1</sup>  
 1. T. PEKKANEN, *Testimonia de urbe Roma selecta poetarum Latinorum*  
 2. K. SMOLAK, “*Iam vacua ardet Roma*“ (Gregorius Magnus, *In Ezechielem*, libro II<sup>o</sup>, homilia VI<sup>a</sup>, lineis a 520<sup>a</sup> ad 595<sup>am</sup>)  
 3. M. CRISTINI, *Antiquitas decentius innovata. De urbe Roma sub ditione Gothorum*  
 h. 11.30 - 12: Pausa caefearia  
 h. 12-13.30: Orationes tres:  
 1. A. MIRAGLIA, *De urbis Romae notione apud Petrarcam et alios humanitatis restitutores*  
 2. I. MARCELLINO, *De Roma triumphante*  
 3. C. LAES, *Drusus III sive de iuventute miserrima. Carmen Nelli Martinelli (1951)*  
 h. circiter 13.30: Prandium<sup>2</sup>

#### Postmeridiano tempore: in monasterio S. Caeciliae:

- h. 15.30 – 16.30: Orationes duae:  
 1. D. BLANCHARD, *De urbis Romae aeternitate et musica classica moderna*  
 2. D. ALVAREZ GOMEZ, *Philelphus: homo profecto maioris aestimationis quam doctrinae*  
 h. 16.30 - 17: Pausa caefearia  
 h. 17 – 18: Orationes duae:  
 1. Y. HASKELL, *De amore et (a)moribus Romae sive de carmine Ovidiano De vita urbana Francisci Grimaldi (Romae, 1725)*  
 2. I. PASCUAL BAREA, *Cur Galenus in capitis vulneribus medendis Romanum morem secutus optima medicamenta non adhibuerit*  
 h. 18 - 19: Acroasis musica (cantus Gregorianus)  
 h. 19.30: Cena<sup>3</sup>

### • Die 13 mensis Iunii (13.VI.2022):

#### Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:

- h. 9.30 – 10.15: Cantus communis  
 h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:  
 1. V. CIARROCCHI, *De nonnullis inscriptionibus Latinis, quae cum Urbis historia forsitan iungi possint*  
 2. G. LICOPPE, *Roma num sit vicesimo primo saeculo peritura*  
 h. 11.30 - 12: Pausa caefearia  
 h. 12 – 13.30: Orationes tres:  
 1. I. DALLA PIETÀ, *Pauca de Aegypto et Roma*  
 2. N. DE MICO, *Urbem, quae omnium caput est (Passio Quirini Tegernseensis 6)*  
 3. D. DRAGNEV, *Sitne Roma caput mundi an in peripheria mundi? Accedat prospectus e Bulgaria*  
 h. 13.30: Prandium<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Singulae sessiones suos praesides habebunt.

<sup>2</sup> Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

<sup>3</sup> Fortasse in monasterio S. Caeciliae.

<sup>4</sup> Fortasse ibidem.

**Postmeridiano tempore: apud Pontificiam Universitatem Salesianam:<sup>5</sup>**

h. 16.30 – 17.30: Orationes duae:

1. M. SAJOVIC, *De vita deque virtutibus Marcellae, viduae Romanae, quas Hieronymus Stridonensis in epistulis suis commemorat*2. T. SACRÉ, *De Petronii vidua Ephesia in scaenam revocata*

h. 17.30 - 18: Pausa caefearia

h. 18 – 19.30: Orationes tres:

1. R. SPATARO, *Utrum Constitutio Apostolica 'Veterum Sapientia' (MCMLXII) etiam temporibus nostris sit apta studiis Latinis fovendis*I. L. LIMA, *De urbis Romae itinerariis iuxta Carolum Egger et Cletum Pavanetto viros praeclaros*3. I. RUBINI, *“Opaca Fronde” sive de Musa Iaponica Urbem peragrante: de haicubus Latine pangendis*

h. 19.30: Fabula scaenica

h. 20.15: Cena

h. 22: Reditus in regionem Transtiberinam

• **Die 14 mensis Iunii (14.VI.2022):****Matutino tempore: in monasterio S. Caeciliae:**

h. 9.30 – 10.15: Cantus communis

h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:

1. H. SILVESTRE, *Ibam forte via Sacra: Roma in versibus Horati et Martialis*2. P. MARONGIU, *Magistri Gregori narratio de mirabilibus urbis Romae: quo animo auctor urbis Romae maiestatem descripsit*

h. 11.30 - 12: Pausa caefearia

h. 12 – 13.30: Orationes tres:

1. C. LYVENS, *Alma vox urbis Romae Latina, sive quid Roma Latinitati redivivae ineunte et mediante saeculo XX profuerit*2. M. LOCH, *De muneribus novi aevi sive de studiorum classicorum curriculis renovandis*3. I. C. ROSSI, *Qualis fuerit Urbs, quales civitatis consuetudines, qualis sermo cotidianus, me puero*

h. 13.30: Prandium

**Postmeridiano tempore: in regione Transtiberina et in monasterio S. Caeciliae:**

h. 15.30: Lustratio basilicae S. Caeciliae aliorumque locorum

h. 19: Cena in monasterio S. Caeciliae

h. 20.30: Acroasis musica (exhibebitur symphonia quarta Gustavi Mahler)

• **Die 15 mensis Iunii (15.VI.2022):****Matutino tempore: apud Academiam Vivarii Novi:**h. 9: Profectio in Academiam<sup>6</sup><sup>5</sup> Raeda longa in Univ. Salesianam vehemur.<sup>6</sup> Raeda longa vehemur.

h. 10.30 – 11.30: Orationes duae:

1. M. G. IODICE, *De insula Tiberina nominata in urbe Roma posita*

2. R. REGTUIT, *Frisii ante portas*

h. 11.30 – 12.00: Pausa caefearia

h. 12.30 – 13.30: Orationes duae:

1. G. GUZMÁN RAMÍREZ, *Monumenta perennia: de imperio Romanorum iuxta Aelium Aristidem et Dionem Chrysostomum*

2. A. WATANABE, *Mille viae ducunt Romam: Certamina nationum atque ordinum circa Iaponiam saeculis XVI et XVII*

h. 13.30: Prandium

### **Postmeridiano tempore: apud Academiam Vivarii Novi**

h. 15: Lustratio villae Falconeriae

h. 16 – 17.30: Orationes tres:

1. T. TUNBERG (per rete), *Cur Marco Antonio Mureto, oratori et Gallo et Romano, quandam eloquentiae palmam deferre debeamus*

2. M. MINKOVA (per rete), *De Ioanne Petro Maffeo scriptore Romano*

3. S. WEISE (per rete), *De Goethio elegiarum Romanarum scriptore et earum versionibus Latinis saeculi XIX*

h. 17.30 – 18: Pausa caefearia

h. 18 – 18.30: Oratio:

1. I. ARMELLA, *Duas res publicas animo complectamur: de veris Latinitatis confiniis eiusque per saecula perpetuitate*

h. 18.30-18.50: M. VON ALBRECHT carmen, c.t. 'Ad Romam', recitabitur

h. 18.50 – 19.00: PRAESES, Conclusio Conventus

h. 19.00: Acroasis musica (canet chorus musicus 'Tyrtarion')

h. 20: Cena

h. circiter 22.30: Reditus in regionem Transtiberinam

**Qui Conventui interesse cupiunt, epistolum electronicum mittant ad Nicolaum De Mico, sodalem ALF eundemque quinquevirum Conventui apparando ([nicodemico4@gmail.com](mailto:nicodemico4@gmail.com)), ac nuntient quo die quibusve diebus sint affuturi.**

## CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 26. Mai, dem Fest Christi Himmelfahrt:



Egbert-Codex (um 980), Trier

2022\* hoDIE ChrIstVs pro totIs nobIs passVs aD CaeLestIa asCenDIt, aLLeLVIA! –  
 Heute steigt Christus nach seinem Leiden für uns alle zum Himmel empor –  
 Halleluja! -

2022\* IesV ChrIsto sIt regaLIIs gLorIa, qVI In LVCe VerItatIs VICtor fortIs In  
 CaeLVM sVbIstI, tIbI se fLeCtVnt IbI genVa CeLestIa, terrestrIa atqVe InfernaLIa. –  
 Jesus Christus sei königliche Herrlichkeit; du stiegst als starker Sieger im Lichte der  
 Wahrheit zum Himmel hinauf; dir beugen sich dort die Knie im Himmel, auf der Erde  
 und in der Unterwelt.

Zum 31. Mai 2022, dem **Fest der Heimsuchung**, eine Trilogie:

2022\* **MaRIa** ab**II**t fest**In**anter et **IbI** In **CIVITate** **IVD**ae sa**LV**ta**VI**t **ELI**sabet  
Za**CharIae** **CVIV**s **Infans** e**XVL**ta**VI**t In **V**tero. - Maria brach eilig auf und grüßte dort  
in der Stadt Judas Elisabeth, die Frau des Zacharias, dessen Sohn im Schoß  
frohlockte. - vgl. Lk 1, 39.40.41



**Heimsuchung, Codex Gisle aus Zisterzienserinnenkloster Marienbrunn bei Osnabrück, 1300,**  
copyright: Quaternio-Verlag, Luzern

2022\* **DIX**it **ELI**sabeth **VX**or sene**X** a**L**ta **Vo**Ce: „q**Vo** fa**C**ta est **VOX** sa**LV**tat**Io**n**Is**  
t**V**ae In a**V**ri**b**us, e**XVL**ta**VI**t **Infans** ten**VI**s **Iste** In **V**tero **Meo**“. - Elisabeth, die  
betagte Frau, rief ihr mit lauter Stimme zu: „Sowie der Ton deines Grußes mir in den  
Ohren klang, hüpfte dieses Kindchen in meinem Schoße auf!“ - vgl. Lk 1, 40.41. 44

2022\* **VI**rgo et an**CILL**a et Genetr**IX** **FILII** **DeI** et Sa**LV**ator**Is** nostr**I** fort**Is** **Canta****VI**t  
nob**Is** **p**Ie et e**XVL**ta**VI**t In an**IM**a et In sp**IR**it**V** **p**Ietat**Is** et grat**IA**e. - Die Jungfrau und  
Magd und Mutter des Sohnes Gottes und unseres mächtigen Erlösers sang und jubelte  
für uns fromm in ihrer Seele und im Geist der Gottesfurcht und Gnade. - vgl. Lk 1,  
44.47



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogramatischen Jahresweg 2022 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.

### Zum 01. Juni:

2022\* **IVnIVs** a **IVnIorIbVs** **DICItVr** **VeL** a **IVnone** **Dea** **genetrICe** **VVLCa****nI**. habet fest**IVI**tates: **BonIfatII** ep**IsCopI**, **NorbertI** ep**IsCopI**, **AntonII** **LIsbonensIs**, **GerVasII** et **ProtasII**, **SILVestrIs** papae, **ALoYsII**, **NatIVItatIs** beat**I** **IoannIs** **BaptIstae**, **IrenaeI**, **PetrI** papae et aposto**LI** atq**Ve** **PaVLI** aposto**LI**. – Juni heißt nach den Jüngeren <die im Feld stehen, während die Älteren = seniores daheim sind>, oder von der Göttin Juno, der Mutter des Vulkan. Er hat als Feste die des Bischofs Bonifatius (5.), des Bischofs Norbert (6.), des Antonius von Lissabon (oder Padua 13.), des Gervasius und Protasius (19.), des Papstes Silvester (20.), des Aloysius (21.), der Geburt des seligen Johannes des Täufers (24.), des Irenaeus, des Papstes und Apostels Petrus (29.) und des Apostels Paulus (29.) – vgl. Durandus, Rationale 8,4,8.



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515



Zum 5. Juni, dem Pfingstsonntag:




## Herabkunft des Hl. Geistes - Nottingham, 15. Jh.

Alabaster, 37,5 x 18,5 cm, Kunsthaus Lempertz



Egbert-Codex (980), Trier

2022\* **DI**e **P**ente**C**ostes **r**ep**L**e**t**I **s**Vnt **o**Mnes **S**p**I**r**I**t**V** **s**an**C**t**I**tat**I**s **e**t **p**letat**I**s **e**t **C**oeper**V**nt **L**oq**V**I **I**bi **I**n **V**ar**I**is **L**Ing**V**is **t**ot**I**vs **o**rb**I**s **V**erba sap**I**ent**I**ae **e**Xhortat**I**on**I**s.  
 – Am Pfingsttag sind alle vom Heiligen Geist der Heiligkeit und Frömmigkeit erfüllt worden und begannen dort in allen Sprachen des gesamten Erdkreises Worte der Weisheit und Ermahnung zu verkünden. – vgl. Apg 2,4.14



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022\* effVnDaM Ibi aqVas sVper sItItIentes et arIDa orbIs. – Ich will dort Wasser ausgießen über die Dürstenden und das Trockene des Erdkreises. - Is 42,2



Der Hl. Geist mit seinen Gaben, Glasbild von Lorenz Johannes Heilmair (1984)

Zentrum der Spiritualität Cruzeiro do Sul

2022\* effVnDaM Ibi sVper Vos Dona noVa. – Ich will dort über euch neue Gnaden ausgießen.

2022\* frVctVs SpIritVs DeI paraCLYti est In nobIs pla aLLegrIa, CarItas, paX ConsCIentIae, patIentIa, benIgnItas, fIDes fortIs, ContInentIa, LVX; Contra eos non erIt LeX. - Die Frucht des Tröstergeistes Gottes ist in uns gottesfürchtige Freude, Liebe, Friede des Gewissens, Geduld, Güte, fester Glaube, Enthaltbarkeit, Erleuchtung; gegen sie gibt es kein Gesetz. - vgl. Gal 5,24

2022\* rege fortIter In totIs nobIs qVoD DeVIVM sIt. – Lenke voller Kraft in uns allen, was vom rechten Weg abgeirrt sein mag.

2022\* SpIritVs DeI fortIs, IrrIga ple arIDVM In totIs nobIs! – Starker Geist Gottes, tränke gütig das Vertrocknete in uns allen!

Zum 6. Juni, dem Pfingstmontag:



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022\* **IbI** In **BaYLone sVrreXerVnt LIngVae InfInItae**,

**In IerVsaLeM DIe PenteCostes VIXIt SpIrItVs SanCtI VnICa.** –

Dort in Babylon gab es den Beginn von unendlich vielen Sprachen,  
in Jerusalem lebte am Pfingstfest die einzige des Hl. Geistes.

2022\* **pVrga pIe sorDIDVM totIVs InterIorIs nostrI.** –Reinige gütig unser gesamtes  
Innere vom Schmutz!

2022\* **spIrItanI est rIte fortIs propaganda fIDEI MIssIonarIa In VerItatIs et pIetatIs sapIentIa.** – Aufgabe des Spiritaners ist gesetzmäßig die tapfere missionarische  
Verbreitung des Glaubens in der Wahrheit der Weisheit und Güte.

2022\* **SpIrItVs SanCtVs sIt nobIs totIs LVX pIetatIs qVae sCrVtatVr CorDa, Ipse postVLABIt In nostro InterIore geMITIbVs InennarabILbVs.** –Der Heilige Geist sei  
für uns alle ein gütiges Licht, das die Herzen durchforscht, er wird in unserem Innern  
mit unaussprechlichen Seufzern eintreten. - Röm 8,27

2022\* **VbI est SpIrItVs DoMINI VIVaX, IbI erIt nobIs LIBertas In VIRTute fortIs sapIentIae et pIetatIs IstIVs InCLItI SanCtI ParaCLYtI.**– Wo der Geist des Herrn  
lebendig ist, da wird für uns die Freiheit in der starken Kraft der Weisheit und  
Gottesfurcht dieses hochehrwürdigen heiligen Trösters sein. - vgl. 1 Kor 1,24; 2 Kor  
3,17.18

2022\* **VbI regnat SpIrItVs ParaCLYtVs DoMINI VeraX, IbI VIVIs In LIBertate pIetatIs fortIs sIne Lege serVItVtIs trIstIs peCCatI.** – Wo der wahrhaftige Tröstergeist  
des Herrn herrscht, da lebst du in der Freiheit einer starken Frömmigkeit ohne das  
Gesetz der traurigen Knechtschaft der Sünde. - vgl. 2 Kor 3,17.18

2022\* **VenI, Creator SpIrItVs, DIgItVs fortIs aeternI DeI PatrIs DeXterae, LVX, fons VIVVs, IgnIs, CarItas, VoX VerItatIs, VentVs pVrVs et nobIs totIs regIa spIrItaLIs**

**VnCtIo.** – Komm, Schöpfer Geist, starker Finger an des ewigen Vaters rechter Hand, gütiges Licht, lebendige Quelle, Feuer, Liebe, Stimme der Wahrheit, reiner Windhauch und für uns alle eine vorzügliche geistliche Salbung. – in Anlehnung an die Pfingstsequenz

2022\* **VenI**, fort**Is** **DIVIne** **Creator** Sp**IrItVs**, q**VI** pro**CeDI**s **InfInIte** e**X** **Patre** **FILIoqVe**, **VenI** et **VI**sIta nos, **Da** et aper**I** tot**Is** nob**Is** **CVnCtas** p**I**etat**Is** grat**Is**. – Komm, starker göttlicher Schöpfergeist, der du ewig aus dem Vater und dem Sohn hervorgehst, komm und besuche uns, gib und öffne für uns alle alle Gnaden der Frömmigkeit.

2022\* **VenI** nob**Is**, San**Cte** **Creator** Sp**IrItVs** e**XI**ens **IbI** e**X** **Patre** **FILIoqVe** **IesV** **ChrIsto**, p**LenItVDo** grat**Is**, sap**IentIae**, fort**ItVDIn**Is, **CarItat**Is, **VnCtIon**Is sp**IrItVaLI**s, **Vt** **VIV**as **Vere** Para**CLYtVs** **In** tot**Is** pe**CtorIbVs** nostr**Is**! – Komm für uns, Heiliger Schöpfergeist, der Du dort aus dem Vater und dem Sohn Jesus Christus hervorgehst, Du Fülle der Gnade, der Weisheit, der Stärke, der Liebe, der geistlichen Salbung, um als Tröster wirklich in all unseren Herzen Wohnung zu nehmen. -

2022\* **VenI** nob**Is**, San**Cte** Sp**IrItVs**, **Creator**, Para**CLYtVs**, **ConsoLator** **DVLCI**s, **DVX**, fons, **IgnIs** **VIVV**s, **CarItas**, sp**IrItaLI**s **VnCtIo**, e**Ia** **LI**bera nos! – Komm für uns, Heiliger Geist, Schöpfer, Beistand, süßer Tröster, Führer, Quelle, lebendiges Feuer, Liebe, geistliche Salbung, mache uns bitte frei!

Zum 11. Juni, dem **Fest des heiligen Barnabas**:

2022\* **I**oseph Barnabas, appe**LLatVs** **FILIV**s **ConsoLatIon**Is, **LeVIt**es **CYprI**ens**Is** genere, so**CIV**s fort**Is** Pa**VLI** **In** propaga**tI**one e**VangeLI**I, aposto**LV**s **InsVL**ae paternae **CYprI**, **MartYr** **IesV** **ChrIstI**, ora pro nob**Is**.- Joseph Barnabas, mit dem Beinamen Sohn der Tröstung, Levit aus Zypern (Apg 4,36), tapferer Gefährte des Paulus bei der Verkündigung des Evangeliums (Apg 13-14), Apostel der heimatlichen Insel Zypern (Apg 15,37-39), Martyrer Jesu Christi (nach einer späteren Tradition durch Steinigung), bitte für uns.

Zum 12. Juni, dem **Fest der Allerheiligsten Dreifaltigkeit** – eine kleine Auswahl:

*Wie kann man ein Chronogramm über die Hl. Dreifaltigkeit schreiben, ohne gleich fast einen kleinen theologischen Traktat zu verfassen?? – es sei denn, man schreibe dies::*

2022\* **I**ntra nos tres aetern**I** **V**n**V**M s**V**M**V**s. – Wir drei ewigen sind eins in uns. –  
 Variante: 2022\* Nos Tres **I**n nob**I**s **V**N**U**M s**V**M**V**s. – Wir drei sind eins in uns. – vgl.  
 Jo 10. 30



Quintin Massys (1465/66-1530), Dreifaltigkeit, linker Teil eines Flügelaltars, München, Alte Pinakothek, Foto: Hildegard Schuhmann

2022\* **I**es**V**s **C**hr**I**st**V**s pat**I**ens **C**r**V**CI aff**I**X**V**s est nob**I**s tot**I**s **L**V**X** atq**V**e **V**era  
 eff**I**g**I**es **M**iser**I**Cor**D**iae Tr**I**n**I**tat**I**s **I**n aetern**I**tate. - Jesus Christus, der am Kreuz  
 angenagelt leidet, ist für uns alle ein Licht und ein wahres Abbild der Barmherzigkeit  
 der Dreifaltigkeit in Ewigkeit.

2022\* a**M**or Patr**I**s aetern**I** et **V**n**I**gen**I**t**I**, sa**C**er fons tot**I**v**S** bon**I**tat**I**s Sp**I**rit**V**s  
 Para**C**LYte, **V**en**I** nob**I**s tot**I**s torrens **C**ar**I**tat**I**s e thesa**V**r**I**s **I**ngens Tr**I**n**I**tat**I**s, **V**Irt**V**te  
 p**I**etat**I**s et **V**Itae **C**or**D**a nostra **V**isere –AHMA 54, S. 247 – Des ewigen Vaters und  
 des eingeborenen Sohnes Liebe, heil'ge, unerschöpfliche Quelle alles Guten, Heil'ger  
 Geist, Parakletus! Aus den Tiefen der Dreieinheit komm zu uns, o Strom der  
 frommen Liebe, dring mit der Kraft des Lebens in unsere Herzen ein! –  
 Cantalamessa, Komm, Schöpfer Geist – S. 175-176




**Dreifaltigkeit: Codex Gisle aus Zisterzienserinnenkloster Marienbrunn bei Osnabrück, 1300,**  
copyright: Quaternio-Verlag, Luzern

2022\* aMor TrInItatIs est fons benIgna et InfInIta In se Ipso aD Intra et pro nobIs totIs aD eXtra. – Die Liebe der Dreifaltigkeit ist gütige Quell- und Endpunkt in sich selbst nach drinnen und für uns alle nach draußen.

2022\* beneDICta sIt a nobIs totIs sanCta TrInItas atqVe InDIVIsa VnItas, beneDICTVs sIt Pater, FILIVs VnIgenItVs, sIt et SpIrItVs SanCtVs VerItatIs. – Gepriesen sei von uns allen die heilige Dreifaltigkeit und ungeteilte Einheit, gepriesen sei der Vater und der eingeborene Sohn und der Heilige Geist der Wahrheit.





### „Notgottes“, Vera Icon, um 1415, Fragment eines Diptychons

Ungekannter Meister von Sankt Laurenz, Wallraf-Richartz-Museum, Köln, Foto: Paul Badde

2022\* Deo PatrI et Deo FILIo et Deo ParaCLYto sIt a totIs nobIs LaVs aLta et gLorIa per InFIInIta saeCVLa. – Gott Vater und Gott Sohn und Gott, dem Tröster, sei von uns allen hohes Lob und Herrlichkeit durch unendliche Ewigkeiten!

Die Christen werden im „Namen des Vaters und des Sohnes und des Heiligen Geistes“ (Mt 28,19) getauft. Vorher antworten sie auf die dreifache Frage, ob sie an den Vater, an den Sohn und an den Heiligen Geist glauben, mit: „Ich glaube“. „Der Inbegriff des Glaubens aller Christen ist die Dreifaltigkeit“ (Cæsarius v. Arles, symb.). Die Christen werden „im Namen“ (Einzahl) und nicht „auf die Namen“ (Mehrzahl) des Vaters, des Sohnes und des Heiligen Geistes getauft [vgl. das Glaubensbekenntnis des Papstes Vigilius im Jahre 552: DS 415], denn es gibt nur einen einzigen

Gott, den allmächtigen Vater und seinen eingeborenen Sohn und den Heiligen Geist: die heiligste Dreifaltigkeit.

Das Mysterium der heiligsten Dreifaltigkeit ist das zentrale Geheimnis des christlichen Glaubens und Lebens. Es ist das Mysterium des inneren Lebens Gottes, der Urgrund aller anderen Glaubensmysterien und das Licht, das diese erhellt. Es ist in der „Hierarchie der Glaubenswahrheiten“ (DCG 43) die grundlegendste und wesentlichste. „Die ganze Heilsgeschichte ist nichts anderes als die Geschichte des Weges und der Mittel, durch die der wahre, einzige Gott – Vater, Sohn und Heiliger Geist – sich offenbart, sich mit den Menschen, die sich von der Sünde abwenden, versöhnt und sie mit sich vereint“ (DCG 47). [...]

Die Trinität ist ein Glaubensmysterium im strengen Sinn, eines der „in Gott verborgenen Geheimnisse ... die, wenn sie nicht von Gott geoffenbart wären, nicht bekannt werden könnten“ (1. Vatikanisches K.: DS 3015). Zwar hat Gott in seinem Schöpfungswerk und in seiner Offenbarung im Laufe des Alten Bundes Spuren seines trinitarischen Wesens hinterlassen. Aber sein innerstes Wesen als heilige Dreifaltigkeit stellt ein Geheimnis dar, das der Vernunft nicht zugänglich ist und vor der Menschwerdung des Sohnes Gottes und der Sendung des Heiligen Geistes auch dem Glauben Israels unzugänglich war.

**PIA HAEC**

**CHRONOGRAMMATA CHRISTIANA**


**CONFECIT**

**PATER HERBERTUS DOUTEIL**

**BRASILIENSIS**

## KANNITVERSTAN

*Scriptis Johann Peter Hebel, in Latinum convertit Leo Latinus.*



**JOHANN PETER HEBEL**  
(1760-1826)

Homo sanê, si quidem vult, omni die – sive versatur *Emmendingae*<sup>1</sup> sive *Gundelfingae*<sup>2</sup> sive *Amstelodami*<sup>3</sup> – occasionem nanciscitur, quâ consideret omnium rerum terrestrium fragilitatem, ut contentus fiat fortunâ suâ, etsi eidem non multi porci ambulant cocti<sup>4</sup>. At per ambages maximê mirabiles factum est, ut quidam Germanus socius fabrilis<sup>5</sup> *Amstelodami* in urbe errans cognosceret veritatem. Nam cum is in hanc magnam et divitem urbem venisset mercatoriam, plenam domorum magnificarum, navium fluctuantium, hominumque negotiosorum, eidem statim in oculos incidit domus magna et pulchra, qualem viderat nullam totâ in suâ migratione ex

<sup>1</sup> \**Emmendinga* i.e. orig. *Emmendingen*

<sup>2</sup> \**Gundelfinga* i.e. orig. *Gundelfingen*.

<sup>3</sup> \**Amstelodâmum*, - ī n. orig. *Amsterdam*. cfr Graesse/ Benedict: *Orbis Latinus*

<sup>4</sup> *Eidem nōn multī porcī ambulant coctī.* orig. *für ihn fliegen nicht viele gebratene Tauben in der Luft herum.*

cfr Karl Ernst Georges, *Deutsch-Lateinisches Wörterbuch*, 1.Band (A-K), 10.Ausgabe, Leipzig 1853, col.622, s.v. braten...gebraten: „...im Sprüchw., es fliegen hier gebratene Tauben in den Mund, hic porci cocti ambulant (Petr.45,4)“.

- cfr **PETRONIUS, *Satyricon libri*** (*Satyrica, Schelmengeschichten, Lateinisch-deutsch von Konrad Müller und Wilhelm Ehlers, München (Heimeran), 2.Auflage 1978, p.82): 45,1-4 „Oro te“ inquit Echion centonarius „melius loquere. 2 ‚Modo sic, modo sic‘ inquit rusticus; varium porcum perdiderat. Quod hodie non est, cras erit: sic vita truditur. 3 Non mehercules patria melior dici potest, si homines haberet. Sed laborat hoc tempore, nec haec sola. Non debemus delicati esse, ubique medius caelus est. 4 Tu si aliubi fueris, dices **hic porcos coctos ambulare...***

<sup>5</sup> **socius fabrilis** orig. *Handwerksbursche*.

oppidulo *Duttlingâ*<sup>6</sup> ad urbem *Amstelodami* factâ. Qui vir stupefactus diu aspectabat istud aedificium pretiosum sex caminis in tecto et pulchris antepagmentis<sup>7</sup> necnon altis fenestris instructum, quae maiores erant patris sui ianuâ domesticâ. Denique socius fabrilis non potuit, quin alloqueretur aliquem praetereuntem: »*Bone amice*« inquit »*nonne scis mihi dicere, quidnam nomen sit illius Domini, qui possidet hanc domum pulcherrimam fenestris instructam, quae plenae sunt tuliparum et iphiorum et leucoeorum*<sup>8</sup>?« - At ille vir, quem verisimile est de sermone theodisco tantum scivisse quantum vir rogans de batavico, id est nihil, dixit breviter atque morosê: »*Kannitverstan*«, et properê praeteriit. Hoc autem fuit verbum batavicum, aut, si accuratius consideramus, tria verba fuerunt, quae valent ferê id quod *Non possum intellegere*. At bonus peregrinus credidit hoc esse nomen viri, quod rogando accipere voluisset. Tum îdem cogitavit: »*Necesse est illum esse virum divitissimum*«, et ire perrexit. Ab uno angiporto ad alterum vagatus tandem vênit ad sinum maritimum, qui appellatur »*Het Ey*« sive theodiscê »*das Ypsilon*«. Ibi autem naves et mâli stabant tam spissi atque condensi, ut primo nesciret, quonam modo duobus tantum sui oculis id assequeretur, ut omnes istas res mirificas satis attentê aspectaret, usque dum denique animus eius attractus est magnâ nave, quae brevi ante ex Indiâ Orientali advenerat, et nunc modo exonerabatur. Iam longi ordines cistarum fasciumque mercium in terrâ stabant artê inter se collocati. Cum autem diu illa aspectavisset, denique ex aliquo viro, qui modo cistam subbaiulatam ferebat, quaesivit, quidnam esset nomen illius domini fortunati, cui a mari afferrentur tot tantaeque merces. Deinde ille respondit: »*Kannitverstan*«. Tum socius cogitavit: »*Babae, en illum! Nimirum, cui e mari affluunt tantae divitiae, is facile tales domos mundo imponit talesque tulipas vasibus inauratis*«. - Cum îdem modo cogitabat »*Utinam ego quoque aliquando tam bene me haberem quam ille Dominus Kannitverstan!*«, angulum cum circumisset, subito conspexit magnum agmen funebre. Quattuor autem equi pannis nigris velati currum funebrem etiam nigrum lentê atque triste trahebant, quasi scirent se ducere hominem mortuum ad quietem aeternam habendam. Secutum est longum agmen eorum, qui cum mortuo erant amicitîâ aut commercio coniuncti, unum par hominum post alterum, nigris amiculis velata et muta. Procul tinniebat

<sup>6</sup> \**Duttlinga*, -ae f. orig. *Duttlingen*, i.e. *Tuttlingen*.

<sup>7</sup> *antepagmentum*, -î n. orig. *Gesims*.

<sup>8</sup> \**tulipa*, -ae f. orig. *Tulpe*. - \**iphium*, -î n. orig. *Sternenblume* - \**leucoeon*, -i n. orig. *Levkoie*.

campanula solitaria. Nunc autem animus peregrini nostri affectus est commotione flebili, quâ nullus homo bonus non afficitur corpus mortuum praeteriens, et petasum manibus tenens animo religioso constitit et stans remansit, dum omnia essent transacta. Sed tum ultimum hominem omnium agminis participum, qui modo inter silentium calculabat, erioxyli<sup>9</sup> sui quantumnam lucri accepturus esset, si pretium centenarii decem florenis<sup>10</sup> augetur, accessit amiculo leniter attacto sincerê veniam petens: »Heus Domine« inquit, »nonne ille homo bonus fuit amicus tui, cui campanula sonat? Nam video tu illius exsequias prosequens quam tristis sis et quam cogitabundus.« - Deinde ille: »*Kannitverstan!*« respondit. Tum autem bonus noster Duttlinganus ex oculis effudit nonnullas lacrimas magnas. »*O miser Kannitverstan!*« evocavit, »*tantarum divitiarum quidnam nunc tibi relictum est? Ea quae mihi quoque restabunt ex paupertate meâ: camisia funebris et pannus linteus et ex omnibus illis floribus tui pulchris fortasse nullus nisi aliqui ros marinus gelido pectori impositus, aut rutula.*« - Haec cogitans corpus mortuum, quasi ad se ipsum pertineret, usque ad sepulchrum comitatus Dominum *Kannitverstan* putativum ad locum quietalem vidit demitti et batavicâ homiliâ funebri, cuius ne unum quidem verbum intellexit, vehementius commotus est quam quibusdam homiliis theodiscis prius auditis, ad quas animum non attenderat. - Denique animo levato unâ cum aliis abiit, in tabernâ aliquâ, ubi sermo theodiscus intellegebatur, bono cum appetitu comêdit frustum casei Limburgiani<sup>11</sup>; postea autem, quandocumque lamentabatur, quod tot homines in mundo essent divitissimi, at ipse esset pauperrimus, subito ei in mentem incidebat Dominus ille *Kannitverstan* Amstelodamensis et illius domus magna et navis divitissima necnon illius sepulchrum angustissimum – quo statim se consolaretur.

<sup>9</sup> **erioxylum**, -ī n. orig. *Baumwolle*.

<sup>10</sup> **+florēnus**, -ī m. orig. *Gulden*. Quod est genus nummorum obsoletum.

<sup>11</sup> **cāseus Limburgiānus**: orig. *Limburger Käse*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Limburger>. **Cāseus Limburgiānus** (nomen ducitur a *Limburg* ducatu priore; etiam appellatur *Herve* vel *Remoudou*) conficitur e lacte vaccarum crudo et ratione Pasteurianâ tractato, quod in massâ siccâ continet 20-60% (partes per centum) pinguaminis, necnon molli cortice liniminis rubri („*Rotschmiere*“). Originaliter hic caseus fabricatus est in vetere Ducatu Limburgiano. Qui cum habeatur pro genere caseorum olentissimorum, saepe repellitur nomine **casei foetidi** increpatorio appellatus. Tamen nonnulli homines casei Limburgiani amatores magni aestimant eiusdem saporem valdê aromaticum atque bene conditum.



ECCE CASEUS LIMBURGIANUS

**FABELLAM HEBELIANAM**

**QUAE INSCRIBITUR**

»KANNITVERSTAN«

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

## **PAUCA DE BELLO UCRAINIANO**

Bellum Ucrainianum progreditur aliter quam excogitaverat Putinus, qui Kievium expugnare intendebat et Ucrainiam vincere et Europam ab Septentrioamerica dissociare, ne NATO foedus amplius firmaretur; at Russi ab inexpugnato Kievio discesserunt et magna pugna in Donbassum retardatur et Ucraina resistit et NATUm novas regiones amplectitur, cum Suetia Finniaque essent foederi accipiendae; tamen Vladimirus Putinus a proposito suo non discedit; interea Henricus Kissinger, olim secretarius statalis Septentrioamericanus, suasit Ucrainianis ut territorii partem Russis cederent, eo consilio, ut bellum possit finire; at praeses Volodimirus Zelenski affirmavit Putinum, ne praemio quidem sedatum, se abstenturum esse a proeliis; praeterea “periculosius est consentire Putino quam eum provocare”; sic opinatus est Kaja Kallas minister primarius Estonius (The Washington Post, El Libero, 26-5-2022).

**SCRIPSIT**

**PAULUS KANGISER**

**CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

**Boris Pahor**

\* 26. August 1913 in Triest

† 30. Mai 2022 in Triest



BORIS PAHOR

SUPERSTES CAMPI CONCENTRATIONIS  
SCRIPTOR LINGVAE SLOVENICAE EXCELLENS  
III KAL. IVNIAS  
EX VITA EGRESSVS  
AETATIS CVIII

MMXXII

Der KZ-Überlebende und exzellente slowenischsprachige Schriftsteller  
**BORIS PAHOR** ist am 30. Mai im Alter von 108 Jahren gestorben.



## Jeanne d'Arc

\* vermutlich 1412 in Domrémy, Lothringen  
† 30. Mai 1431 in Rouen, Frankreich



IOANNA AR**C**ENSIS  
 SAN**C**TA **V**IRGO AV**R**ELIANENSIS  
 P**V**ELLA ILL**V**STRIS ATQ**V**E HERO**I**NE  
 HO**D**IE  
 ANTE Q**V**INGENTOS NONAG**I**NTA **V**N**V**M ANNOS  
 IN B**V**STO E**X**VSTA

MMXXII

# Romy Schneider

bürgerlich Rosemarie Magdalena Albach

\* 23. September 1938 in Wien

† 29. Mai 1982 in Paris



ROMY SCHNEIDER  
HISTRA PRAECELLENS  
ANTE OCTO LVSTRA  
IV KAL. IVNIAS OBIT

MMXXII

Am 29. Mai vor 40 Jahren  
starb die vorzügliche Schauspielerin  
**ROMY SCHNEIDER.**

## Jacques Prévert

\* 4. Februar 1900 in Neuilly-sur-Seine, Paris

† 11. April 1977 in Omonville-la-Petite, Département Manche



IACOBVS PRATVM VIRIDE  
 VVLGO IACQVES PREVERT  
 INSIGNIS POETA FRANCIQVS  
 NONIES QVINQVE ANNIS ANTE  
 E VITA EGRESSVS

MMXXII

Der ausgezeichnete französische Dichter  
 JACQUES PRÉVERT,  
 auf Lateinisch „Iacobus Pratum Viride“  
 (und auf Deutsch „Jakob Wiesengrün“),  
 ist vor 45 Jahren gestorben.

**Ich war dann ein wenig überrascht, als ich in PLL 23 auf Seite XI das folgende Chronogramm von Herrn Bernward Eichhorn entdeckte:**

**GLORIA IN EXCELSIS DEO PATRI ET VBIQVE IN  
TERRIS PAX HOMINIBVS, QVI BONAE VOLVNTATIS  
SVNT.**

Tatsächlich unabhängig voneinander dieselbe Idee. Allerdings hat Herr Eichhorns Chronogramm nur den Zahlenwert „1816“. Entweder hat er sich verzählt, oder sein Chronogramm wurde versehentlich nur unvollständig wiedergegeben.

Ihnen ein besinnliches Pfingstfest.

Mit herzlichen Grüßen

Ihr Tobias Rößler



G L O R I A I N E X C E L S I S D E O  
 E T I N T E R R A P A X H O M I N I B V S  
 B O N A E V O L V N T A T I S  
 R E X C A E L E S T I S E T S A L V A T O R  
 E X I N O P I A N O S E R I P I A T


M M X X I I

## Beda Venerabilis

\* 672/673 bei Wearmouth in Northumbria

† 26. Mai 735 im Kloster Jarrow in der heutigen Grafschaft Tyne and Wear

(Gedenktag 25. Mai)



BE DA VENERABILIS

SANCTVS

COENOBITA ECCLESIAE CATHOLICAE

PRESBYTER ET THEOLOGVS ANGLICVS

NOTVS VIR STUDIOVS

HISTORIGRAPHVS EXSPERANS

MMXXII

# Germanus von Paris

französisch Saint Germain

\* 496 bei Autun

† 28. Mai 576 in Paris

GERMANUS VON PARIS ist ein Heiliger der katholischen Kirche.  
Er war in den Jahren von 550 bis 576 der 20. Bischof von Paris.  
Sein katholischer Gedenktag ist der 28. Mai, sein Todestag.



SANCTVS GERMANVS LV TETIANVS  
SACERDOS CONTIONATOR CELEBER


\* \* \*

GERMANVS PARISIENSIS  
ANACHORETA COENOBITA EPISCOPVS  
AC SANCTVS ECCLESIAE CATHOLICAE

## Stanisław Moniuszko

\* 5. Mai 1819 in Ubiel bei Minsk

† 4. Juni 1872 in Warschau, Kongresspolen



STANISLAVS MONIVSZKO

ARTIFEX ILLVSTRIS

PATER OPERAE THEATRALS NATIONALIS POLONICAE

TRIGINTA LVSTRIS ANTE

PRIDIE NONAS IVNIAS

EX VITA EGRESSVS

MMXXII

Am 4. Juni vor 150 Jahren starb  
der berühmte Künstler STANISŁAW MONIUSZKO.  
Er gilt als „Vater der Polnischen Nationaloper“.




# Mordechaj Gebirtig

eigentlich Mordche Bertig

geboren am 4. Mai 1877 in Krakau, Österreich-Ungarn

gestorben am 4. Juni 1942 im Ghetto Krakau

jiddisch schreibender jüdisch-polnischer Dichter und Komponist



MORDECHAJ GEBIRTIG

POETA EGREGIVS

OCTOGINTA ANNIS ANTE

CRACOVIAE NECATVS

MMXXII

Der hervorragende Dichter MORDECHAJ GEBIRTIG  
**wurde vor achtzig Jahren in Krakau ermordet.**

## Yves Klein

(korrekte Aussprache: [iv kleʃ])

\* 28. April 1928 in Nizza

† 6. Juni 1962 in Paris

YVES KLEIN  
 PICTOR EXCELLENS FRANCICVS  
 SCVLPTOR ATQVE ARTIFEX ACTIONIS  
 SEXAGINTA ANNIS ANTE  
 DIE SEXTO IVNII DECESSIT  
 AETATIS SVAE XXXIV

\* \* \*

IVO PARVVS VVLGO YVES KLEIN  
 ARTIFEX INCLYTVS  
 SEXAGINTA ANNIS ANTE OBIIT  
 INFARCTO MYOCARDII

\* \* \*

YVES KLEIN  
 BONVS ARTIFEX  
 CVLTOR COLORIS CAERVLEI VLTRAMARINI  
 SOCIVS FRATERNITATIS ROSACEAE CRVCIS  
 BIS TRIGINTA ANNIS ANTE E VITA EGRESSVS

MMXXII

Am 6. Juni vor sechzig Jahren starb der exzellente französische Maler,  
 Bildhauer und Performance-Künstler YVES KLEIN im Alter von erst 34 Jahren.

\* \* \*

Der berühmte Künstler YVES KLEIN (auf Lateinisch „IVO PARVUS“)  
 starb vor sechzig Jahren an einem Herzinfarkt.

\* \* \*

Vor sechzig Jahren starb der große Künstler YVES KLEIN,  
**ein Verehrer der Farbe „Ultramarin“ und ein Rosenkreuzer.**

# GLOSSARIUM EROTICI PRAEFATIO

## A PETRO PIERRUGUES SCRIPTA

### GLOSSARIUM EROTICUM LINGUÆ LATINÆ,

SIVE

THEOGONIÆ, LEGUM ET MORUM NUPTIALIUM

APUD ROMANOS

EXPLANATIO NOVA

EX INTERPRETATIONE PROPRIA ET IMPROBIA ET DIFFERENTIIS IN SIGNIFICATU

FERE DUORUM MILLIUM SERMONUM,

Ad intelligentiam Poetarum et Ethologorum tam antiquæ quam  
integræ infimæque latinitatis;

AUCTORE P. P.

*Hans Hanke*

PARISIIS,

APUD AUG.-FR. ET PR. DONDEY-DUPRÉ, BIBLIOPOLAS,

Via dicta Saint-Louis, N. 46,

NECNON VIA DICTA RICHELIEU, N. 67.

M D CCC XXVI.

## **LECTORI ERUDITO.**

Dicendo aut scribendo de rebus eroticis, eadem nuditate verborum ab initio utebantur Romani; sed cum sensim spurcata evaderet, dissoni medici et jurisperiti, more technicorum, singularem sibi sermonem instituerunt; optimates vero literatique, urbanitatis causa necnon pueritiae reverendae, metaphoricam linguam sibi finxere, plebe retinente primam illam impolitam, quam Martialis appellat *latine loqui*. Hac fuse usi sunt Lucilius, Catullus, Martialis, parciusque Naso, Horatius, Tibullus, Propertius et aliqui scriptores etiam pudicissimi. Secunda lingua in libris, tum de jure tum de medicina, quaerenda est; tertia inprimis conflixere Plautus, Persius, Juvenalis, Petronius, Seneca, imo Tertullianus et ipse Civitatis Dei auctor sanctissimus, vitia omnes vario quamquam modo objurgantes.

Nemo sane doctus nescit hujusce praesertim tertiae linguae scientiam quam maxime necessariam esse studiosis satyricorum et ethicorum, et eo difficiliorem intellectu nobis in diem fieri, quo longius abest ab origine sua, fere omnino obsolectis moribus, quos vel expressim vel metaphorice referebat.

Deficiebat tamen lexicon speciale in quo translationes sermonum et lusus in verbis explanarentur, et voces ambiguae ad rem peculiarem reducerentur.

Hoc opus non leve, erudite lector, ausus sum inchoare, et peritioribus trado ab illis emendandum et perficiendum. En igitur accipe libens hunc diuturni mei laboris fructum, GLOSSARIUM nempe EROTICUM linguae latinae, in quo quidem, nisi tanti rem ponderis manu forte impari tractaverim, omnia quaecumque apud Romanos seu ad theogoniam, seu ad leges, mores et ritus nuptiales, ac vitae usus diversos, victum, vestitum, voluptatesque antiquitus pertinuerunt, uno quasi adpectu poteris percensere, luculenter explicata duorum fere millium locutionum interpretatione, innumerisque auctorum exquisitissimorum exemplis illustrata et confirmata. Subjunguntur facili nexu intertexta: 1° etyma satis multa, quibus fit plenior vocabulis significatio; 2° notitiae de plerisque eroticis scriptoribus, quorum carmina hodie desiderantur; 3° ampla

proverbiorum de amore series undequaque ex veterum libris selecta: quae cuncta quamdam tibi utilitatem una cum sensu non ingrato adlatura spero. Nunc esto mihi iudex benevolus, candide lector; sed illud praecipue persuasum habeas velim, hoc libro, unice literas adjuvare in animo fuisse mihi, et, resputis morum innocentiae infestissimis Meursii aliorumque recentiorum obscenitatibus, inter praetextata verba caste semper scribere caste legentibus.

Lutetiae Parisiorum, M D CCC XXVI.

**HANC PRAEFATIONEM  
GLOSSARII SUI EROTICI  
a.1826  
SCRIPSIT  
PIERRE PIERRUGUES**

# NAVCA

## *Carmen quod pepigit Maurus Pisini*

Nocte patent curae quibus angor, saepe, revertens  
adcubat atque illis excludit munera pacis.

Dum vaga volvuntur reboantque tonitrua caelo,  
ecce, ruunt stratis - quos horreo - grandinis ictus.

Angulo in hoc xysti iuvenes sua sensa susurrant  
atque animi gaudent in libertate vagari ...

Prospicio: apparet sine nimbis forma diei,  
qui, levis, accedit, quia nil videt esse pericli.

Quidquid id est, ne conde sinu: solet acrius uri  
quicumque inclusos in pectore comprimit ignes.

Porrigitur lycophos: sensim, tenuatae et opacae  
umbrae discedunt, veniunt ab aethere luces.

Me tuus oris halos carpit plus quam levis aura  
quam leviter spiras et curro, piscis, ad hamum ...

Lux, crispata rosis, libellae membra colorat  
ac, dein, multiplicem dat vitam floribus horti.

Cum, tandem, moriar, sat erit mihi credere vitam,  
actam et non actam, non totam in funere pressam.

Vespera sub gradibus levior mihi nempe videtur,  
quamvis algida hiems in eos dominetur et instet.

**Maurus Pisini**

# VERBA CLOACAE

## A PAULO IACOBOPOLITANO EXCERPTA

caco, cacare, cacavi, cacatum 1 to shit, or to shit upon

cinaedus -i, m. pervert , as adj, shameless

coleus -i, m.

scrotum, Form of culleus, leather sack.

cunus -i, m. female genitalia, in a coarse sense, cunt.

irrumator -oris, m. bastard, sodomite.

futuo, futuere, futui, fututum 3 to have sexual intercourse with, to fuck.

lupanar -aris f. whorehouse.

mentula, -ae f.

dickhead

mingo, mingere, minxi, mictum 3

to piss

moecha -ae f.

adulteress, tart , slut.

scortum -i, n.

whore . Catullus uses the diminutive of this, scortillum, to mean wench

.

vomer -i, m.

penis , literally plowshare .

The Obscure Organization supports experimentation in the arts and technology.

Last Modified 4/11/1996

If you have questions or comments, please contact:

[rbulling@obscure.org](mailto:rbulling@obscure.org)

---Mensaje original----

De: [grex-request@man.torun.pl](mailto:grex-request@man.torun.pl) [mailto:[grex-request@man.torun.pl](mailto:grex-request@man.torun.pl)] En nombre de [jfwhelpt@hkstar.com](mailto:jfwhelpt@hkstar.com)

Enviado el: Domingo, 06 de Febrero de 2011 22:59

Para: [grex@man.torun.pl](mailto:grex@man.torun.pl)

Asunto: ??? Re: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini Varsoviensis

Iohannes Honcongensis Stanislaio aliisque legentibus s.p.d.

Indici vocabularum membrum virile significantium addendum est `vomer', quod in sensu originali est nomen partis cuiusdam aratri et Anglice `ploughshare' redditur.

Optime valeas valeatisque

a.d.VII Id. Feb. Novemdraconibus scribebam

>

> ??? : JUAN GARCIA GUTIERREZ <[oleastrensis@yahoo.es](mailto:oleastrensis@yahoo.es)>

> ??: 2011/02/07 ??? ?? 12:40:54 HKT  
 > ????: grex@man.torun.pl  
 > ??: Re: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini Varsoviensis  
 >  
 > Addam duo synonyma plus, quae invenire potes?in Mart. Ep. 11.60.2-3 .  
 > Unum ad pudenda feminea adiciendum, scilicet 'ulcus', quo cunnus  
 > designatur. Alterum ad maris pudenda, senilia praesertim, quod est  
 > 'aluta' (=flaccida mentula) Valete Oleastrensis  
 >  
 >  
 > De: Stanislaw Tekieli <stanislawtekieli@hotmail.com>  
 > Para: grex@man.torun.pl  
 > Enviado: dom,6 febrero, 2011 15:14  
 > Asunto: RE: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini Varsoviensis  
 >  
 > Stanislaus Victorio sodalibusque spd  
 > Addere oblitus sum huic conventui adfuisse sat claram in  
 > Polonia?actuosam motus feministiarum. Quae mulier quoque est  
 > philologiae classicae perita necnon per multos annos Latinam in?lycaeo quodam Varsoviensi docebat.  
 >  
 > V.

>> To: grex@man.torun.pl  
 >> From: latino@ipoint.it  
 >> Date: Sun, 6 Feb 2011 15:02:12 +0100  
 >> Subject: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini  
 >> Varsoviensis  
 >>  
 >> Victorius Stanislae ceterisque contubernalibus s. p. d.  
 >> ..-.....-  
 >> From: Stanislaw Tekieli <stanislawtekieli@hotmail.com>  
 >> To: <grex@man.torun.pl>  
 >> Subject: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini  
 >> Varsoviensis  
 >> Date: Sun, 6 Feb 2011 11:07:23 +0100

Stanislaus sodalibus spd

Heri, in habitaculo Christophori G?rski (qui vir adest quoque numero sodalium GLL, licet scribat ipse rarissime), habitus est conventus Circuli Latini Varsoviensis. Septem participes aderant, inter quos praeclarus professor Nicolaus Simonides. Disputatum est de Caroli Rambach "Thesauro erotico linguae Latinae", edito Stuttgartiae anno MDCCCXXXIII. Maxime adduxerunt animas nostras lemmata spectantia ad: pudenda virilia: arma, caput, cauda, caulis, clavus, columna, contus, cucumis, curculio, fascinum, gladius, machaera, mentula, mutinum, muto, natrix (anguis natans), nervus, palus, pessulus, pipinna (a pipillatione avium?), pyramis, radix, ramus, rutabulum, sceptrum, telum, tensus, tentum, thyrsus, trabs, tubus, turtur, vena, veretrum, verpa (fortasse imprimis de pene circumciso, nam 'verpi' pro ludaeis dicebantur?), virgula; pro pene languido/flaccido: anguis, beta, lorum in aqua pudenda muliebria: arvum, navis, oppidulum, porcus, portus, recessus, secessu; de vagina et podice simul: caverna (utraque fossa), porta (utriusque veneris foramen) futuere: arare, caedere, coniungere somnos, conversari, cucurbitare,dedolare, subulare, fodere (de utraque venere), semitam facere (praesertim de prima in mulierem aggressionem), perforare, pertundere irrumare (secundum Rambach 'vitium senum et emeritorum'): altiora tangere, summa petere irrumari: tacere (explanatio Rambach: 'nam qui irrumatur, loqui non potest) Breviter tractavimus quoque thema paedophiliae apud veteres, de qua Rambach: puer - Graece pais. Usitatissimus, ut nemo nescit, puerorum in venerem usus apud antiquos. (...) Intra septimum annum prostitiebantur pueri et erant in commercium, quod mangonibus prohibuit Domitianus, necnon spadones fieri, infandae libidinis>> diverticulum inventum a lenonibus. (...) Sed postquam puberes aetate>> facti, aut quum uxorem duceret dominus, tondebantur, in signum dimissionis a libidinoso officio. V.

>

Victorius: Dupliciter gratias tibi ago, Stanislae: A) pro libertate, qua sodales illius Circuli usi sunt in iis rebus tractandis; B) tibi, quod talem vocum indicem rettulisti. Utrum de iis vocibus opportunum sit necne scribere, iam pridem hoc in foro disputatum est, sicut ep., cui titulus 'Mala Verba' (14 Ian. 1997), testatur. Vale valetaque.



\*\*\*\*\*

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (Andreas Vesalius).

Victorius Ciarrocchi, Italus Pisarenensis.

grex-request@man.torun.pl [mailto:grex-request@man.torun.pl] En nombre de JUAN GARCIA GUTIERREZ Enviado el: Lunes, 07 de Febrero de 2011 16:30 Para: grex@man.torun.pl Asunto: Re: [grex] 'Ulcus' non designat "cunnum" [de pudendis (...)]. Ioannes Oleastrensis Victorio ceterisque consodalibus s.p.d. Interpretatio quam recusas, Victori amice, in epigrammate XI.60 Martialis, scilicet 'ulcus' pro 'cunno', fuit olim materia cuiusdam acroasis quam attuli et edita fuit anno MCMXCI inter alia studia "in honorem Anto-nii Holgado Redondo", Gadium Universitatis cathedrario decesso. Hunc librum edidit Universitas Extrema-turensis, nam doctor Holgado natus erat in hac regione, collectis studiis variis singulorum cathedrariorum vel profesorum ex variis Hispaniae Universitatibus. Habes studium in paginis 75-77 publicationis allatae (Homenaje a D. Antonio Holgado Redondo) In acroasi supradicta dissensionem meam ostendi ab interpretatione versionis Anglicae Walterii A Ker et Hispanae Iosephi Guillén. Ambo tibi consentiunt (et proinde, a me dissentiunt, etsi versionis meae numquam notitiam ullam habuissent, qui me ne quidem novissent). Secundum Anglicam versionem, 'ulcus' interpetandum erat pro 'itch' (=prurigo) et pro parte sua, Hispanicus interpres vertit 'prurito' (= prurigo) Nolo adducere textum Hispanicum acroasis meae, sciens quod coactus ero et adducere simul Latinam versionem. Ibi dico: Verbum 'prurigo' non bene congruit in hoc contextu: nulla `prurigo' est per se pulchra. Haec vero pulcherrima videtur, immo, delectabilis. Pudendum muliebri formam habet vulneris.

Id est, ulceris. oeta Hispanus Miguel Hernández scribit:

Ábreme, amor, la puerta de la llaga perfecta. (Pande mihi, amor, portam ulceris pretiosi)  
Cunus est ulceri similis cum aperitur. Imago convenit rei. Vale. Oleastrensis

De: Victorius Ciarrocchi <latino@ipoint.it>

Para: grex@man.torun.pl

Enviado: lun,7 febrero, 2011 14:42

Asunto: [grex] 'Ulcus' non designat "cunnum" [de pudendis (...)].

Victorius Ioanni Oleastrensi ceterisque legentibus s.p.d.

.....-

From: JUAN GARCIA GUTIERREZ <oleastrensis@yahoo.es>

To: grex@man.torun.pl

Subject: Re: [grex] de pudendis sive conventu Circuli Latini Varsoviensis

Date: Sun, 6 Feb 2011 16:40:54 +0000 (GMT)

Addam duo synonyma plus, quae invenire potes in Mart. Ep. 11.60.2-3

. Unum ad

pudenda feminea adiciendum, scilicet 'ulcus', quo cunus designatur. Alterum ad maris pudenda, senilia praesertim, quod est 'aluta' (=flaccida mentula)

Valete Oleastrensis

////////////////////////////////////

Victorius:

'Ulcus', saltem in eo Martialis epigrammate, non "cunnum", sed pruriginem, lasciviam> significat. Legamus, quaeso, totum epigramma:

«Sit Phlogis an Chione Veneri magis apta, requiris?  
pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet;  
ulcus habet Priami quod tendere possit alutam  
quodque senem Pelian non sinat esse senem;  
ulcus habet quod habere suam vult quisque puellam,  
quod sanare Criton, non quod Hygia potest.  
At Chione non sentit opus nec vocibus ullis  
adiuvat, absentem marmoreamve putes.  
Exorare, dei, si vos tam magna liceret  
et bona velletis tam pretiosa dare,  
hoc quod habet Chione corpus faceretis haberet  
ut Phlogis, et Chione quod Phlogis ulcus habet. »

# CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM

*Das ist die Frage:*

QVO VADES

PAVPER DIVES GERMANIA

Wohin des Weges, armes reiches Deutschland?

**Hdf**

## ECHUS VOCES EPISTULAE

**MAURUS PISINI**

d.26. m.Maii h.12:01

**Maurus Nicolao s. p. d.**

Labores tuos philologos, carissime, quos de lexico hominum stercorario suscepisti, miror plurimum, quippe cum de verbis tractare voluisses, vel pudenter vel impudenter usurpatis in praestantiorum scriptorum prosis nec non in carminibus lascivis aetatis cuiusvis quae non sine animi hilaritate saepius legi. Hoc modo comperi hominum stercus lotiumque magnam habere et vocum copiam et significationum messem ad ipsorum naturam in variis scriptionum contextibus describendam ubi, tamen, vis comica foetores omnes exsuperat. *Merda enim, fere semper, cum risu coniungitur ...*

Praeterea, valde sum delectatus epistula Ioannis Caroli Rossi qua de lapsu suo scholari lepide narraverat ac, paulo infra, versibus illis quibus Lutherus in merdosum quendam homuncionem invectus est. Adeo sunt enim multa de merda vocabula quae me facile ad curiositatem ea penitus inquirendi partim trahant, partim vero ad satietatem vertant. Laetor, tamen, me haec fusius didicisse. Valeas quam maxime et iucunditates alias in commentariis tuis exarare perge!

**Nicolaus Mauro suo s.**

Gratias plurimas, Maure carissime, pro verbis tuis benevolis, quae in proximâ Epistulâ Leoninâ libenter publicabo. Iuvat et delectat sensa et cogitata communicare commercio litterarum Latinissimo. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

**PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

**Paulus Nicolao s.d.**

Accepi EL 261 quam legere incipio.

De latrinitate vocabularium non inutilem rem iudicavi, nam interest mea solum ad litteras selectas legendas sed etiam vulgares, quae de vita cottidiana Romanorum multa patefaciunt, quapropter tibi mitto parvum vocabularium de verbis cloacae, quod anno 2011 e Grege Latine Loquentium excerpsi. Jam tunc, etiam antea, de hac re - ut vides - agebatur. Cura ut valeas.

d.26. m.Maii a.2022 h.10:06

**Nicolaus Paulo sal.pl.**

Gratias multas, care sodalis, quod mihi materias mittis cloacarias. Quas libenter publicabo, ut habeat Orbis Latinus incitamenta disputandi. Inspexistine iam EL 261? Quid tibi videtur de *Ninâ Burri* Feminâ Serpentinâ? Scribas semper quidquid tibi in buccam venerit. Non est necessarium, ut omnia disponas ratione scientificâ; nam semper iuvat et delectat cum amicis cogitationes communicare idque linguâ Latinâ.

Vale semper pancraticê, Iacobopolitane Latinissime. **Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.**

**GUILIELMUS MONETTI**

d.26. m.Maii a.2022 h.11:01

**Leo Latinus Guglielmo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Care Guglielme, quid fit, quid agitur? Rectène vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Leoninae 260 inest Thesaurus Latrinitatis (*sic!*) vivae, quod est glossarium scatologiae abundantissimum. Iamne inspexisti? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat Leo Latinus

d.26. m.Maii a.2022 h.14:37

**Nicolao leonino eidemque Latino (immo Latinissimo) Gulielmus s. p. d.**

Perquam gaudeo epistulas abs te accipere tum leoninas, quas semper magna cum voluptate inspicio legoque, tum privatas, qualis ea est, ad quam haec breviter rescribo. Leoninas velim integras perlegere, a capite ad calcem, quod tamen ut perficiam, raro potestas datur; prorsus enim assentior Ioanni Carolo Rossi Mediolanensi, qui superioribus epistulis ita scripsit: videri sibi in maxima taberna cuppedinaria obambulare, ubi plurima undecumque niteant crustula bellariaque omnis generis, ubi redolentissimus fragret odor vaporetque cuppediarum; quae omnia ipse, tamen, quamquam pervelit, degustare nequeat. Ita et mihi saepe evenit: epistolas Leoninas avide et exspecto et pervoluto, cum advenerint; omnes earum commentationes et symbolas diligenter legere velim, nam nihil est fere in iis, quod mihi salivam non moveat (nam etiam quae ad merdam pertinent, tractantur diligentissime, maximaque cum antiquitatis doctrina); sed temporis angustiis distineor, negotiis premor, eo morbo, ut brevi dicam, et ipse laboro, qui unus est nostrae aetatis vulgatissimus et vere pandemius: inopia temporis. Nam variis nunc temporis negotiis operam, qualemcumque, meam, addixi: est **dissertatio doctoralis** de argumento neolatino aliquando typographis tradenda, ut edatur; sed antequam id fiat, eadem est novis investigationibus corroboranda, integraque ad obrussam revocanda, tota denique reformanda: evadet similis Argolicae navi, quae saepissime refecta, ne tabulam quidem eius ligni haberet, quo erat pridem confecta. Sunt investigationes de poetis neolatinis saeculi XX exsequendae: inde symbolae quamplurimae legendae, inde itinera suscipienda ad urbes vicinas et minus vicinas ut, novus Poggius, carie semesas tabulariorum archivorumque chartas effodiam, videam possimne aliquid inde novi expiscari (quod est factu iucundius quam dictu, fateor). Quid innumeros libros memorem, qua Latinos, qua Italicos, semilectos aut intactos, sed aliquando legendos, quorum his annis satellitio me adeo stipavi, ut interdum quicquid est in orbe librorum in malam crucem amandare velim, totumque me tradere amusis illecebris, sed non minus iucundis? Sed tu, quod facis, in eo persevera, ut semper nova nobis apponas cuppedia; nos autem, etsi non omnia semper gustare valebimus ea diligentia, qua par est, tamen nunquam non avide exspectabimus, numquid novi ab Leone Latino.

Sed nolo tibi verba dare: quin accipe munusculum. Est libellus, pulchris imaginibus illustratus, quo continetur fabella Latine conversa ex fabula romanensi *Il mulino del Po* (Latine *Molae Padi fluvii*, auctore Ricardo Bacchelli) inscripta. Versionem Latinam fecit Alafridus Bartoli, Latinitatis apud Italos, saeculo praeterito, strenuus fautor, poetaque Latinus ingeniosissimus, sed parum notus. Bartoli enim, Tuscus origine, Melitam insulam aliquando migravit, ut ibi linguam Italicam doceret: ubi etiam fundavit periodicum Latinum, c. i. *Rosa Melitensis*. Postea, in patriam regressus, fuit aliquantisper apud Bruttios, ubi operam navavit certamini poetico Latino, quod vocatum est “Certamen Locrense”. Quod tamen paucos annos est indictum. Tum rursus in Tusciam, prope Florentiam, lares transtulit, ubi munere diu functus magistri linguae Latinae octuagenarius mortem obiit. Si de eo plura cognoscere vis, et scis Italice, addo pulchram symbolam scriptam a Iosepho Moràbito (et ille poeta Latinus egregius), quondam eius discipulo. Hoc libello agitur de mago quodam et de daemone eius, cuius est nomen “Urlòn del Barco” (inde titulus Latinus *De Urlone a Barco*). Fabula agitur imo in cursu Padi fluvii, quo mari Hadriatico propior fluit, Ferrariae in urbe. Libellus editus est in serie ab Ugone Henrico Paoli, philologo claro, eodemque scriptore Latino (et prosa, et adstricta oratione) eo consilio elaborata, ut libelli aliquot proponerentur discipulis linguae Latinae studiosis (qui eo tempore pueri prima elementa huius linguae addiscebant). Quae tamen series tres titulos tantum numeravit. Spero te ex hac fabella aliquid delectationis capere; iacuit, quantum scio, huc usque ignota. Haec si tibi digna videbitur quae lectoribus Epistularum Leoninarum proponatur, ius habeto obtinetoque quicquid de ea visum fuerit, faciendi.

**Vale interea, et te nobis vivum vigentemque diu serva.**

d.26. m.Maii a.2022

**Nicolaus Guglielmo suo sal.pl.**

Summas gratias tibi ago, sodalis humanissime, quod mihi tam promptê tamque prolixê respondisti meque litteris neolatinis uberrimis donavisti. Multa et mira mihi narrasti; ad singula universa libenter respondebo fusius proximam occasiunculam nactus. Narra mihi, si quando vacabis, de dissertatione tuâ academicâ deque studiis tuis universitariis; quae libenter legam. De *Alafrido Bartoli* eiusque *Rosa Melitensi* nuper *Christianus Laes* in acroasi zoomianâ *Academiae Latinitati Fovendae* rettulit. Novistine ALF (*Academia Latinitati Fovendae*)? Fortasse iam pridem sodalis es eiusdem Academiae? Referas quaeso. Novistine *Marcum Cristini*? Quocum iam multis ex annis habeo commercium epistularum. Qui etiam sodalis ALF est. Item de *Carolo Lyvens* Lituano physico qui dissertationem scribit neolatinam. Novistine eum? Quâcumque ratione, mi care Guglielme, scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Non est necessarium omnia quam disertissimê exornare et disponere ratione scientificâ, ne verbis nimium limandis disteratur nucleus sive adamas sive margarita epistulae tuae eademque mittatur Kalendis Graecis. Haec hactenus, mox, si volueris, plura. Pancraticê vale! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.26. m.Maii a.2022 h.22:00

**Gulielmus Nicolao sal. pl.**

Gratias tibi ago pro responsu tuo pariter prompto, nec minus eleganti aut Latino. Quoniam rogas enixe, ut aliquid referam de rebus meis, tibi statim morem geram. Primum de studiis academicis. Anno praeterito defendi dissertationem doctoralem, sum propterea Philosophiae doctor, ut more anglosaxonico adhuc dicimus, renuntiatus (Ph. D.). Hoc Patavii sive Paduae, ubi universitas est antiqua et florens, qua in universitate etiam lauream sum adeptus utramque in philologia classica, trium annorum priorem, alteram magistralis quae dicitur (quae biennio constat). Postea doctoratus triennalis est insecutus. Nunc temporis, quamquam Patavium incolo, munere fungor in Universitate Bononiensi, Bononiae scilicet sita, haud procul hinc, ubi bursam sive stipendium nactus sum, quo alias res investigem. Est Bononiensis antiquissima universitas cum Italiae, tum totius Europae; Patavina seu Paduana autem altera a Bononiensi (seu post Bononiensem) in Italiae antiquissimis. Quid de doctoratu, rogas? Inter doctoratum inquisivi in operibus Latinis (seu neolatinis) Octavii Ferrarii. **Octavius Ferrarius (natus a. 1607, mortuus 1682)**, Mediolanensis, discipulus Federici Borromaei antistitis tunc temporis clarissimi, venit Patavium anno 1634, ut munere fungeretur professoris in hoc Studio (ita olim haec Universitas vocitabatur, quippe quae duabus reapse Universitatibus constaret, utpote Artistarum, qui medicinam, philosophiam, theologiam colebant, et Legistarum, qui ius; utraque autem Universitas Studio sive Gymnasio Patavino comprehendebatur). Professus est ille Humanitatem, id est Litteras Latinas et Graecas, et Antiquitatis scientiam. Nunc oblivione sepultus plerumque neglegitur, nisi quod Helgus Nikitinski, opere suo aureo q. i. *Sergius sive de eloquentia latina saec. XVII et XVIII*, eum inter potiores duxit Latinitatis scriptores qui utroque saeculo floruerunt. Hanc igitur ansam arripui, studia mea occepi. Reliquit enim Ferrarius acroases seu orationes Latinas plurimas lectu dignissimas, panegyricas orationes binas, alteram in Christinam Suecorum reginam dictam, alteram in Ludovicum XIV Gallorum regem, quibus est omnibus magnam famam ubique in Europa consecutus, et praesertim in Germania, ubi eius opera saepius sunt edita saeculo XVIII. Haec omnia aliaque de eo (nam multa etiam manu scripta opera reliquit), ita investiganda suscepi, ut aliquid saltem de eo constet apud doctos homines nostrae aetatis (neque enim in omnibus fuse examinandis haesi, quod tempus mihi datum longe excessisset). De bursa sive stipendio Bononiensi, brevi nunc accipe. Agitur de investigandis poematibus seu carminibus neolatinis quae pepigerunt duo illustres viri Bononienses praeteriti saeculi, Iosephus Albini (qui etiam rector universitatis illius fuit), et Adolphus Gandiglio, studiosus syntaxeos Latinae, et Latinorum Ioannis Pascolii carminum. Uterque certamen Hoeufftianum, a Batavis indictum, participavit, et praemia inde rettulit.

Venio nunc ad respondendum questionibus tuis. **Christianum Laes**, nomine mihi notum, de Alafrido Bartoli egisse omnino nesciebam. Quid dixit? Etiamne locutus est de Urlone a Barco? Extatne oratio eius alicubi in rete? Academia Latinitati Fovendae scio quid sit, nec tamen, eheu, eius sum particeps. Neque si vellem fieri particeps, reapse possem. Etenim, quantum scio, cooptantur participes, qui debeant nominari ab

aliis sodalibus, non ipsi sponte eligunt ut fiant membra eius Academiae. Marcum Cristini non novi; immo, hoc uno novi, quod librum eius *Bellum Mundanum* inscriptum anno praeterito emi et legi. Est enim brevis, sed refertissimus nominibus et rebus scitu dignis. Hebdomade autem praeterito, quum cervisiam potabam in hortis publicis Patavinis cum aliquot amicis, casu comperi duobus ex istis Marcum esse notum, quippe qui studeat historiae mediaevali in quadam universitate, nescio qua. ut epistulis adirem, suasit mihi iampridem Alexius Slednikov amicus, quem rogaveram, sciretne aliquid de actis periodicis *Alma Roma* et *Vox Urbis* inscriptis; sed nondum hoc feci, nam subvenientibus negotiis coactus sum investigationes de utroque illo periodico differre ad aliud tempus. Neque igitur Livenium novi. At quid de te, deque inceptis tuis? Quid de consilio edendi periodicum Latinum maius? Mihi, ut verum fatear, Epistulae Leoninae multum placent, nec velim eas intermitteri. *Fragrantiam* tuam, quando otium est et mens sinit, legere pergo, et valde placet: in iudicio, quod iampridem tibi aperui, igitur persto. Vale!

### **VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

d.26. m.Maii a.2022 h.12:18

#### **Leo Latinus Victorio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Care Victori, quid fit, quid agitur? Rectene vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Leoninae 260 inest Thesaurus Latrinitatis (*sic!*) vivae, quod est glossarium scatologiae abundantissimum. Iamne inspexisti? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. - Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticene vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimè atque fructuosissimè. Medullitus te salutat Leo Latinus.

d.26 m.Maii a.2022 h.19:24

#### **Victorius Nicolao suo salutem.**

Recentissimas Epistulas Leoninas accepi easdemque attente legi. Tibi gratulor pro Thesauro Latrinitatis proque aliis symbolis. Et symbola de femina Serpentina admodum placuit mihi. Tibi autem humaniter quaerenti quomodo me habeam, dolenter sincereque respondeo: non bene me habeo, sed nonnullos morbos, quibus adficio, silentio praetereo. Optime valeas.

d.26. m.Maii a.2022 h.20:30

#### **Nicolaus Victorio suo optimo sal.pl.**

Gratias plurimas, care amice, pro responso prompto. Animo elato accepi tibi placere Thesaurum meum necnon colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum, quod togâ ornare mihi haud indecorum esse visum est. Valdè doleo te morbis vexari, Victori carissime. Utinam solacio tibi sit Latina legere et scribere. Video te in circulo saepe scribere de rebus philosophicis. Multum iuvat et delectat sensa atque cogitata cum amicis communicare idque Latinè. Sequamur vestigia humanistarum, qui ipsi saepe morbis afflictis solacio fruebantur Bonarum Litterarum. Haec brevissimè; mox, si



volueris, certê multo plura. Fac ut quam optimê vales, et scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

### **Leo Latinus Doctori Detlevo Schnitker**

sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Detleve, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Leoninae 260 inest Thesaurus Latrinitatis (sic!) vivae, quod est glossarium scatologiae abundantissimum. Iamne inspexisti? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit.

Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat Leo Latinus

### **Care Leo Latinus,**

te deamo. Gratias tibi ago propter multas epistulas. Nunc lego veterem epistulam priorem. Delectatus sum legendis fabula Crabati et mythis Graecorum Schwabianis et multis aliis. Mea Latinitas crescit. »*Fragrantia*« ingeniosa est. Mâlo vestras fabulas legere ad formam digitalem redactas, quia statim persequi possum vocabula in interreti. De EL 261 referam mox, si legero. **Medullitus te salutat Detlef Schnitker.**

### **GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.27. m.Maii a.2022 h.09:48

#### **Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Superiore septimana iter fecimus in regionem Montis Iurae et in vicinam Alsatiâ, quare tuam rem nondum curavi. Ut scribis, vix sunt hodie, qui, respectis traditis regulis, de verbis novandis curent, sed infeliciter vix quoque sunt Caelestis aemuli.

Ego ad nova vocabula fingenda adductus sum, cum scopus meus in Melissa sit monstrare omnes res hodiernas, etiam recentissimas, Latine facile et dilucide tractari posse. Adeamus nunc *Fallschirm*: elegisti compromissum "umbrella decidua", quod mihi bonum videtur, cum umbella consociari possit cum multis adiectivis ad recentes novitates ludicras definiendas aptis. Minus consentio de usu verbo "urinator". Citas Forcellini, optimum lexicographum XIX saeculi: "Urinator est qui in aquam mergitur et sub ea natat" atque Ciceronem. Erant enim viri, qui de altiore loco in aquam urinabantur, erant quoque qui de scapha in aquam urinabantur et quam celerrime, dum sinunt pulmones, natabant ad fundum (non nimis profundum), ut aliquid perditum recuperarent vel saepius ut corallum vel ostreas margaritiferas caperent; erant quoque, iam antiquitus, qui urinabantur ut in cloaccam aere plenam et in fundo positam se insinuarent; ibi paulo diutius aliquem laborem in fundo facere poterant.

Annis quadragesimis XX saeculi aliquid omnino novum inventum est; Francogallus Cousteau intra alterum bellum mundanum instrumenta creavit, quibus vera natatio subaquanea fieri potuit; hominibus his novis instrumentis instructis, licet palmis propulsis diutissime natationem subaquaneam exercere, quin etiam multo profundius descendere; insuper instrumenta quae gerunt illi natatores impediunt ne solito modo

in aquam intrent; oportet enim resupinati molliter aquam intrent; inde eleganter et sine ulla difficultate in profunda aqua natant; hoc ipse feci, cum iuvenis essem.

Est res omnino nova, quam neque Forcellini, neque Cicero noverunt, et novas res oportet idonea locutione designare. Ergo pergo autumare solam locutionem "natatio subaquanea" idoneam esse ad hanc novitatem designandam. Cura ut valeas.

d.28 m.Apr. a.2022 h.22:20

**Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Quomodo te habes, Nestor Academiae et sodalis de Latinitate viva meritissime? Utinam optimê valeas et Epistulam Leoninam 258 heri acceperis. Quid tibi videtur de statu rerum quo nunc est mundus noster? Isto tempore difficili quid nos humanistae faciamus? Solacium capiamus ex bonis litteris necnon sermone humanistarum colendis. - Appendici inserui quattuor archiva electronica, quae spectant ad Orbem Pictum Hexaglottum; quibus perlectis habeas conspectum operis generalem. Inspicias, quaeso, et scribas mihi, quid tibi videatur. Bene spero hōc anno fieri posse, ut opus perficiam. His annis praeteritis multa mihi suasisti, quae spectant ad nomina rerum eligenda et confingenda. Rogo te, ut etiam glossas et testimonia verborum perspicias mihi que scribas, quid sentias de singulis universis. - Et tu et Francisca pancraticê valeatis et pergatis mihi favere. **Medullitus vos salutat Nicolaus.**

d.30. m.Maii a.2022 h.07:52

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Secundum archivum electronicum, inter quattuor quae ad me misisti, inspexi.

- *Pflanzenreich*: cur proponis "vegetabile" et non "vegetale"? "Vegetabile" enim antiquum est et aliud significat, "vivificum" scilicet. - *Tierreich*: cur "animalium"? Logice animalia eodem modo tractare debes ac plantas; ergo potius scribendum est "regnum animale". - *Schriftliche Kommunikation*: cur fingis "scriptualis", cum exstet vocabulum antiquum "scripturalis", quod rem optime significat? - *Fahrzeugverkehr*; "vehicularis" certe antiquum est, sed "vehicularius" quoque et mihi praeferendum videtur instar "vehicularii cursus". **Cura ut valeas.**

**RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS BONAERIENSIS**

d.26. m.Maii a.2022 h.06:59

**Leo Latinus Radulfo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Care Radulfe, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Accepistine Epistulam Leoninam 261? Eidem inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de eodem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat Leo Latinus

d.27. m.Maii a.2022 h.15:50

**Doctissime Leo Latine**

“Enesima” (denuo barbarismis utor) vice de tua sapientia et calamo perplexus sum.

**Tuus Radulfus**

Nina, serpentem te dicunt,

Quia certe serpens tu fis

Contortionibus miris:

Utinam vir serpentinus

Fiam, saltem quoad prudentiam:

Ea prudentia, auriga

Virtutum, multos iuwarem.

d.26 m.Maii a.2022 h.11:16

**Nicolaus Leo Latinus Iohanni Carolo Epicureo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Sodalis carissime, quid fit, quid agitur? Rectene vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest commercium nostrum epistularum necnon quaedam de Camerario Sellae Britannorum scripta - iamne inspexisti? Inest quoque colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticene vale, mi care Iohannes Carole, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimene atque fructuosissimene. Medullitus te salutat **Leo Latinus**

**JOANNES CAROLUS MEDIOLANENSIS EPICUREUS**

d.27. m.Maii a.2022 h.19:12

Probe, mi Nicolae, scis quantopere epistulae leoninae me iuvent, quas statim lectitare soleo, ut allatae sunt, sed saepenumero eas in manus iterum sumo lubenter, siquid subtilius in tanto thesauro investigare cupio.

Immo vero fateor me semper aliquid novum legendo tua addiscere, ut verbi gratia delectabile munus quo Camerarius seu Cubicularius merdae regiae inspiciendae apud Britannos fungebatur... Quod autem epistulas nostras edere placuit, gaudeo: videlicet eis aliquid inesse lectu dignum duxisti. Nescio sitne tibi nota narratiuncula de Leone pontifice XIII ejusque cubiculario, quam meus mihi pater narrare solebat. Cubicularium, cujus erat pontificem e somno excitare, jusserat Leo nuntiare cotidie qualis esset primo mane caeli status. Itaque, vix reseratis pontificii cubiculi fenestris, ille referebat sudumne esset, an nubilum, plueret an ningeret, aestu flagraret aer, an frigore destringeretur. *Cui Pontifex respondere numquam non solebat: hoc ego scio, scitique Deus (vulgo: Lo so io e lo sa Iddio).* Cubicularius, qui indole erat morosior, omniscio Pontifici, superbe se Deo comparanti, dare verba voluit. Itaque, quum quadam die apertis fenestris vidisset urceatim pluere, dixit sudum esse et splendere solem. Ubi autem Papa eandem cecinit cantilenam: Oportet -inquit- ut et tua Sanctitas et Ipse Dominus Deus perspicilla adhibeatis, quoniam caecutire videmini. Sed multa restant nobis disputanda, quae otiosis mox licebit, ubi conventui ALF Romae celebrando interfuerimus. **Interea valetudinem tuam diligenter cures velim.**

**MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS**

d.26. m.Maii a.2022 h.11:30

**Nicolaus Leo Latinus Marco Cristini** Academiae Latinitati Sodali honorabili philologo necnon botanico Latinissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Marce, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Esne acroasi tuâ Romanensi praeparandâ occupatissimus? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Doleo quod Conventûs particeps fieri non potero. Utinam incepta tua tibi succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat **Leo Latinus**

d.27. m.Maii a.2022 h.22:00

**Marcus Nicolao lexicographorum Latinissimo s.p.d.**

Gratias tibi ago, care sodalis, pro epistula tua benigna proque EL 261, quam grato animo accepi et libenter legi. Fortuna favente oratiunculae meae summam imposui manum et imagines quoque paravi, quas auditoribus ostendere velim dum loquor. Doleo, quod Conventui Romano interesse non poteris, sed fortasse tibi acroases nonnullas ope programmatis Zoom vel GoogleMeet audire licebit.

Labores tuos Herculeos ad nova verba Latina fingenda imo ex corde admiror. Utinam mox Orbem Pictum tunica Ciceroniana indutum Latinitatis cultores quot sunt et prope et procul in manu teneant! Dum nuntios de Bello Ucrainico legebam, mihi venit in mentem thesaurum verborum ad arma, machinamentaue bellica spectantium hodie utilem esse omnibus, qui Latine de proeliis saevientibus scribere conentur. Fecistine iam publici iuris in EL vocabula bellica (fateor hoc e memoria mea excidisse)?

Quod ad disciplinam botanicam attinet, his diebus de facinore scelesto certior factus sum, quod fundamenta ipsa taxonomiae in summum discrimen committit. Botanici enim nonnulli clamitant - horribile dictu - nomina specierum plantarum mutanda esse, quae virum hodie civibus nonnullis invisum celebrant. Qui videntur odio praesertim Caecilii Rhodes (1853-1902) ardere, quem "imperialistam" et phyleticum osorem fuisse putant (tibi commentariolum mitto politice rectissimum). O tempora, o mores, ne nomina quidem botanica a politica rectitudine servantur! Ministerium illud Veritatis, de quo Georgius Orwell in fabula 1984 lepide et scite scripsit, est ad portas. Postquam defuerunt statuae deiciendae et libri castigandi, nomina herbarum scrutantur novi iconoclastae, qui correctores orbis et censores historiae fieri cupiunt. Summa consilii eorum est quaestio oporteatne celebrare nomina eorum, qui a pluribus improbi putentur (Anglice "The key question is whether or not we should continue honouring people who are widely regarded by many as dishonourable"). Quid autem sibi vult "late"? Quid "a pluribus"? Quod ad Caecilium Rhodes attinet, arbitror 99% incolarum orbis terrarum ne nomen quidem eius umquam audivisse. Si de botanicis est sermo, quanti botanicorum Sinensium, Indorum vel Austro-Americanorum interest quis fuerit Caecilium Rhodes quidve fecerit in Africa Meridionali? Ceterum hi taxonomiae correctores sunt studiosi quidem academici, sed

minime historici sunt, ergo quomodo de historia perite iudicare possunt? Damnabuntne memoriam hominis, quia "improbis" fuisse dicitur? Quid est autem "improbitas"? Quomodo eam metimur? Caecilius Rhodes fuit profecto vir pecuniae avidus qui opinatus est Britannos inter alias gentes longe excellere, sed saeculo undevigesimo exeunte paene omnes Britanni idem sentiebant. Num fuerunt cuncti osores aliarum gentium? Rhodes Africam eo adamavit, ut in collibus Zimbabwensibus sepeliri statuit et e divitiis suis iussit sportulas (Rhodes Scholarship) creari, quibus iuvenes in Universitate Oxoniensi animum mentemque excolerent. Estne re vera indignus, ut plantulam nomine suo ornet? Si e casibus singulis ad regulam generalem transimus, timeo ne disciplina botanica rixis perpetuis contionibusque politicis perturbetur, quae minime prosunt scientiae. Ne plura scribam, verba clari poetae Germani Henrici Heine usurpare velim, qui olim scripsit ubi libri comburuntur ibi homines quoque postremo comburi (Germanice "Dort wo man Bücher verbrennt, verbrennt man auch am Ende Menschen"). Puto enim ubi nomina eraduntur (vel ad synonymiam sine ulla ratione deiciuntur) ibi homines quoque postremo eorumque historiam eradi... Cura, ut optime valeas.

### **ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.26. m.Maii a.2022 h.11:35

**Leo Latinus Ansgario suo** sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care amice, quid fit, quid agitur? Rectene vales? Accepistine EL 261? Eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de eodem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Semper iuvat et delectat commercio epistularum Latinissimo sensa et cogitata communicare. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat **Leo Latinus**.

d.28. m.Maii a.2022 h.08:53

**Nicolao salutem Ansgarius**

Epistulam leoninam, secundum consuetudinem, non sine fructu perlegi. Colloquium percontativum cum femina serpentina illa praeclarissima, ut videtur, valde mihi placuit. Memoriae iam mandavi nonnulla verba nova, vel recenter ficta, scilicet vita cultualis (*Kulturleben*), ars ballatiunculae, modella, gymnasterium. Attamen, dic, quaeso, cur gymnasterium pro gymnasium vel palaestra dicendum sit? Quid amplius? Ad effectum haud facile ducitur materiae et spiritus discrimen. Omnia enim, quae sensibus percipiuntur, nisi animo et cogitatione non intelliguntur. Nudius tertius diem Ascensionis Christi in caelum, sine specie et pompa celebravi, nam nunc temporis christiani in catacumbis latimus, simili ratione qua sectatores meretricum, tenebris factis, in latibulis spurcissimis, clunes nocturno labore agitant. Quid rei igitur Ascensio Christi significat? Discordia corporis et mentis, ni fallor, in Domino Christi dissipatur, ut omnia, quae mente fingimus, tandem in rerum natura conspiciantur. Horreo, quod spectulum atrox esset, si omnia quae homines secum animo cogitant, Deo favente, detegerentur. In cogitationis salo fluctuans, aut potius mentis errore

affectus, deliramenta frustra caelo ac terrae loquor. Plane cum coniunctio animi et mundi soluta sit, in cassum theologamus, velut si ex arena funiculum nectamus, vel similiter atque asinum mortuum flagellemus. Fac valeas!

### **URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS**

d.26 m.Maii a.2022 h.07:04

**Leo Latinus Urbano suo** sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Urbane, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Accepistine Epistulam Leoninam 261? Eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de hęc colloquio tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Semper iuvat et delectat sensa et cogitata communicare commercio litterarum Latinissimo. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat **Leo Latinus**

d.28. m.Maii a.2022 h.15:54

**Urbanus Leoni Latino salutem.** S.B.V.B.E.E.V.

Ars serpentina, ut ita dicam, argumentum est, ad quod nunquam mentem animumque converti. Quam multæ res, quas neque suspicor neque suspicari possum, et donantur et donandæ sunt patriâ Latinâ! Dum legebam, meditabar quantâ ei, quæ huiusmodi arti dat operam, sit opus diligentia: et diligentia, et animi constantia, et assiduis corporis exercitationibus. Arcum intendere mihi facile videtur; sagittam collineare iam non tam facile est; sed factu difficillimum, ut sagitta destinatam petat rem. Quod manibus non valeo, illa serpentina pedibus prosequitur. Nonne mirabile est? Sagittis arcubusque licet operam non des, tamen tibi numquam desit diligentia, patientia, constantia, perseverantia, per quæ possis destinata proposita perficere. Macte animo. Vale semper. Dedi, Brasiliopoli, Saturni die, V Calendas Iunias. **Urbanus.**

d.26 m.Maii a.2022 h.11:24

**Leo Latinus Logodaedalo Latinissimo** sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Logodaedale, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Leoninae 260 inest Thesaurus Latrinitatis (sic!) vivae, quod est glossarium scatologiae abundantissimum. Iamne inspexisti? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. Utinam incepta tua tibi succedant quam felicissimê atque fructuosissimê. Medullitus te salutat **Leo Latinus**

d.31. m.Maii a.2022 h.19:49

**Logodaedalus Leoni Latino suo s.p.d.**

Ignosce mihi moranti. Satis bene valeo, amice. Quid de te? Hoc tempore universitatis periculis incumbo, ut bene succedant...Epistulas accepi, quibus valde fructus sum ut semper. Fateor re vera nondum legisse thesaurum. Sermo autem cum Femina Serpentina valde lepidus est. Quid de me? Commentarium in capitulum XXXI "Inter pocula" Familiae Romanae Ioannis Montaurii de iure scribere conatus sum, in quo

explicavi aliqua verba (ius, mos, lex) cum locis sumptis ex commentariis Gaii et codice Iustiniani. **Semper fidelis, tuus Logodaedalus. Scripsi Mediolani pridie Kalendas Iunias.**

### **DAVID EDWARDS BRITANNUS**

d.26. m.Maii a.2022 h.10:35

**Leo Latinus Davidi Edwards** sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care David, quid fit, quid agitur? Rectêne vales? Accepistine Epistulas meas Leoninas? Leoninae 260 inest Thesaurus Latrinitatis (sic!) vivae, quod est glossarium scatologiae abundantissimum. Iamne inspexisti? Ultima quam misi est EL 261; eidem Epistulae inest colloquium cum Feminâ Serpentinâ factum. Quid de iisdem tibi videtur? Scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, mi care sodalis, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Leo Latinus**

d.29. m.Maii a.2022 h.18:06

**Dearest Brother Nicolaus,**

Thank you for your newsletters; I appreciate them greatly. You suspect - you perhaps fear - that my quietness might mean that I could have little interest in your words, that your thoughts or your Latin mean little. Please forgive me if I write to you in my finest English. You should please not worry. I love reading your newsletters. I am constantly shocked and surprised by those things I find in them. They are revelatory. And I need time to process what is indeed new data. I am always thinking of ideas for contributions. I hope always to contribute. **David Edwards.**

### **THEODERICUS SACRÉ PRAESES ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.01. m.Iun. a.2022 h.11:00

**Theodericus Nicolao suo** s.d.p. Eheu, da veniam, sodalis optime, nihil rescribenti: distineor variis ac diversis negotiis! Quo fit ut etiam Epistulas istas Leoninas non nisi perfunctorie percurrere his septimanis valeam! Post conventum Romanum Lovaniensis erit isque Romano multo maior: inde temporis haec penuria. Spirabo inde a medio mense Augusto, ita spero, ac tum vere in otium recedam. Sed te rogare volui, essetne tibi altera inscriptio electronica Andreae Fritsch sodalis? Nam quos ego nuntios Academiae nomine ad eum mittere conor, usus inscriptione hac quae est ..., ii non perferuntur atque ad me non lecti revertuntur. Te vero belle valere opinor, quippe qui laboribus insudare eorumve fructus divulgare non desinas. Proinde valere perge!

d.1 m.Iun. a.2022 h.20:36

**Nicolaus Theoderico Praesidi suo sal.pl.**

Mihi quoque, care Theoderice, sola est eadem inscriptio electronica Andreae qua tu - frustra - usus es. Modo volui cum eo telephonare, sed nemo respondit nisi responstrum, quo spero receptam esse vocem meam, ut Andreas reversus possit audire. Eum rogavi, ut tibi telephonice aut interretialiter indicaret inscriptionem electronicam sui validam. Eius numerus telephonicus Berolinensis est hic qui sequitur: ... Haec hactenus brevissime, mox, si volueris, plura tibi scribam. Utinam

incepta tua conventus dispensandi et dirigendi evadant felicissime. Vale quam optime, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.01. m.Iun. a.2022 h.21:44

**Theodericus Nicolao** s. iterum d. p. Gratias tibi ago maximas! Andreas peregre fortasse versatur atque capsula eius fortasse est plenior quam ut novos recipiat nuntios. Viderimus quid tibi sit responsurus. Iterum gratias tibi ago! Vale pancratice!

d.2 m.Iun. a.2022 h.14:08

**Nicolaus Theoderico Praesidi** s.

Interim, care Theoderice, cum Andrea nostro telephonice collocutus sum. Qui bene valet et valde miratus est, quod a vobis nullum nuntium accepit de conventu Romanensi praeparando. Iam credidit hunc conventum non factum iri nisi per systema zoomianum. Andreas mihi affirmat inscriptionem suam electronicam adhuc valere: ... Nescit quare vestra epistolia electronica non acceperit. Andreae epistolia tua ad me scripta necnon programma conventus iam misi. Dixit mihi se tibi scripturum esse. Vale pancratice, care Theoderice. Utinam omnia incepta Academiae evadant quam optime. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.02. m.Iun. a.2022 h.21:49

**Theodericus Nicolao suo s.d.p.** Gratias tibi ago pro epistolio plurimas! Gaudeo quod Andreas bene valet, doleo quod nuntios nostros nescio qua de causa non accepit. Fortassis hinc factum est, quod ultimis litteris nostris adnexa erant documenta, quae 'attachments' vocantur, eaque a capsula eius reiciuntur. Sed id repetam, quod antea dixi: ut Dei, ita rei electronicae sunt investigabiles viae (ut scriptum est in Epistula ad Romanos). Ante paucissimas horas Andreas ipse ad me: cui cras sum responsurus, sperans fore ut responsum recte ad eum perferatur! Tibi vero gratias iterum ago quod me hac in re magnopere iuvisti. Fac quam optime valeas!

d.2 m. Iun. a.2022 h.21:59

**Nicolaus Theoderico** s.

Verisimile est universitatem Andreae nullas appendices accipere nisi formato pdf scriptas. Haec autem videtur causa esse missionis recusatae. Utinam difficultas nunc superata sit. Vale semper,  
**Nicolaus**.

d.04. m.Iun. a.2022 h. 14:47

**Theodericus Nicolao** s.d.p. Puto te recte coniecisse quae esset causa cur epistolia quaedam non afferrentur ad eos, ad quos essent data. Nam nunc Andreae rescripsi (nulla adiuncta appendice): ac videtur epistula ad eum perlata esse (etenim nullum ego nuntium accepi de re negata vel frustra missa). Curandum ergo deinceps erit ut documenta subnexa, quotquot ex Academia mittantur, semper eam formam habeant, quam dixisti, pdf nuncupatam. Gratias tibi ago! Sed dum coetum praesidiale et coetum generalem his diebus paro, venit mihi in mentem lexicon istud, cui tu insudas.



Velim, si fieri possit, de eius progressu, quoque loco nunc stet inceptum, pauca referre. Si recte recordor, proximo superiore anno te auctore sodalibus dixi ad lexicon perficiendum opus tibi fore fere sesquianno. Nunc ergo, si quid forte novi est, mone, sis, me. Nam non me latet, cum tantum operis perfeceris, tum ex ordine nostro fore sodales quosdam qui vel totum opus vel eius partes quasdam legant, relegant, pro virili aestiment, anteaquam liber in publicum (ALF patrocinio munitus) prodeat; ceterum puto Gaium aliosque sodales quosdam iam portiunculas ex opere libatas sedulo perlegisse. Itaque si paucas ad me de statu rei sententiolas rescripseris (paucas, inquam, nam tot res in Coetu erunt agenda), feceris mihi gratissimum. Gratissimum vero omnibus simul Latinae linguae cultoribus facis, quod laborem istum Herculeum in umeros tuos suscipere pergis. **Vale quam optime!**

d.04. m.lun. a.2022 h. 14:47

**Nicolaus Theoderico praesidi sal.pl.dic.**

Tibi congaudeo, quod nunc nullum iam obstaculum est, quo impeditur, ne Academia Andreae sodali nostro mittat epistulas. Gratias tibi ago plurimas, quod memor es Orbis Picti Hexaglotti. Libenter tibi relaturus sum de statu operis scribendi, ut sodales de eodem certiores facias. Vale quam optime. Medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus.**





## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	0010 4A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI –</b> Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	<b>0050 6A</b>	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –  Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	<b>00107 A</b>	978-3- 938905-27- 2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	<b>0020 7A</b>	978-3- 938905-28- 9	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	<b>00307</b>	978-3- 938905-29- 6	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**




**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM SECUNDAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominicâ  
12. m.lunii a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**